






1
6
672











Q. D. B. V.

DE

REGNO AUSTRASIAE,

Instituta sententiarum collatione,

In Auditorio Academiae magno.

PRAESIDE

CONRADO SAMUELE SCHURZFLEISCHIO,

Historiarum & Humaniorum Literarum Prof. P.

differendo

vires experietur



HENRICUS FOCK,

Lubecensis.

Ad diem XV Decembris

Anno M. DC XCIII.



VITEMBERGAE, Prelo GODERITSCHIANO.

REVERENDISSIMO SERENISSIMOQVE PRINCIPI AC DOMINO

DNO. AUGUSTO FRIDERICO,

HEREDI NORVVEGIAE, POSTULATO EPISCOPO LUBECENSI DUCI SLESVICI, HOLSATIAE, STORMARIAE ET DITMARSORUM, COMITI OLDENBURGI, AC DELMENHORSTI &c. &c. &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

Felicitatem perpetuam, Vitam longam, Gloriam Immortalem!

Ietas mea poſtulat ut *Serenitati Tuae* primi-tîas ſtudiorum ſacras eſſe cupiam, & ſumma animi religione obſeqvium, qvo iure teneor, ſanctisſime confirmem. Memor enim ſum beneficiorum, qvæ in me exſtant, maximorum, & doleo meam vicem, in primis ob tenuitatem ingenii, & facultatum inopiam, unde nihil polliceri habeo, qvod tanti & tam excelſa ſtirpe nati Principis exſpectatione dignum videatur. Facio tamen, non qvod poſſum, ſed qvod debeo,

III

beo, imitatus priſcorum ritus ſacrificantium, qvi cum thure non litarent, ſale partes ſuas explere contenti, in votis precibusqve acqvierunt. Non enim is ſum, qui verbis exprimam laudes maximi Principis, quas ne diſertisſimus quidem poteſt, & ego vix animo complecti queo, ac digne venerari. Etenim Dei vicem refers in terris, & altisſimum gradum inter homines conſecutus es, ad quem non ſine metu quodam accedo, nec tamen conſpectum refugio, ſubnixus fiducia clementiae,

qva

qua omnes, etiam humilimos Clientes Tuos dignaris. Qvare Deo, ut par est, supplicare satis habeo, ut *Revendissimam Serenitatem Tuam, Serenissimamqve Coniugem, & Domum* universam Ecclesiae, Patriae, bonis omnibus & clientibus, inter hos mihi deniqve, salvum atqve incolumen servet, & in multos serosqve annos felicem invictumqve tueatur. Wittebergae EID. Decembr. A. cIↃ IↃc XCIII.

REVERENDISSIMAE TUAE SERENITATIS

Subjectissimus
HENRICUS FOCK.



TU patriæ, tu, clare, tuæ ſpes maxima ſurgis,
Et defenſa dabis jura domosq́; toga.

Nobiliſſimo FOCKIO benevolentiæ teſtandæ ſcripſit

JO. GOTHOFREDUS BERGER, D.
Academiæ h. t. Rector.



Hiſtoriam Themidos ſtudio dum jungere monſtras,
Ingens Doctrinæ TE manet indè decus.
Macte Tuis Muſis, quin porrò adſpiret iisdem
Numen, quò Patriæ Commoda ritè juves!

Hæc Dn. FOCKIO honoris ergo adjicere voluit

C. S. L. B. de Hoym.



WEnn ſich ein eitler Menſch ohn allen Grund erhebt/
Was hilffts Jhm denn mit eitlem Lobe prangen?
Wenn aber ein Gemüht in Fleiß und Tugend lebt/
Das muß gewiß den rechten Ruhm erlangen:
Drum wird Sein wohlgegründtes Thun und Wagen
Mit allem Recht erwünſchte Früchte tragen.

Glückwündſchend ſetzte dieſes

C. A. Fr. von Frieſen.

)(1 De

De Regno Austrasiæ historice disputanti
Nobilissimo & Præclarissimo
Dn. HEINRICO FOCKIO,
LL. Candid. & civi Lubecensi præstantissimo.
PHILIPPUS LUDOV. HANNEKENIUS, D.
prosperitatem in Dom:

NOva regna novis Magnorum Principum virorumq; consiliis innituntur, quæ, nisi habeat exploratissima, nemo felici commentatione in notitiam aliorum & posteritatis traducet; exploratissima autem habens, & prudenti comperta judicio, historicâ scriptione adeò tenebitur modificare, ut inter verum tutumq; medius, ita de rebus gestis, gestarumq; justitia aut injustitia, disserat, ut nec veritati deroget officiatq;, nec periculum famæ vitæq; incurrat. Periculosa certè sunt historicorum fata, magnis solum animis superanda, qui veritatis amore concitati haud in magno ponunt discrimine, bonane an adversa sit laboris merces futura, in eum tantum finem contuendo, ut illud in cognitione rerum præcipuè salubre ac frugiferum teneatur, ab omnis exempli illustri documento privata & publica capere imitamenta, fœda autem inceptu, fœda exitu vitare, & divinæ admiranda providentiæ in spei salutaris infallibile subsidium observare. Pontificis olim auctoritas erat sanctitasq; historias condere & annales perscribere. Sed quorsum hæc, ad te scientem, Fautor honoratissime? Ut te sub Excellentissimo Præside tuo, incomparabili sæculi nostri Historico, de regno Austrasiæ majoribus causarum momentis intentum tactu amico & theologico vellicarem, & ad superiora indentidem reflectere juberem. Quod superest, gratulor tam illustris argumenti dissertationisq; historicæ spartam tibi, Vir Clarissime, & spei Patriæ tuæ civiumq; per hæc & alia studiorum documenta cumulate satisfacienti multos de futuro honores auguror; quibus ut prosperrime tandem perfruaris, à gratia DEI precibus devotis contendo. Vale etiam atq; etiam, & tuum erga me continua amorem favoremq;! Scrib: Witteb: A.O.R. M. DC. XCIII. XII. Kal. Dec.

Aspice,

A Spice, quam rapidos diffundat FOCKIUS ignes,
Quamque petat celeri culmina docta gradu.
Non hunc currentem potuit tardare Calypso,
Sirenumve leves illaqueare chori.
Nec sua pervigili porrexit pocula Circe,
Sed Themis insomnes jussit habere faces.
Sæpe caput doctis visum est consurgere rostris,
Ipsius & justo Cæsaris ore loqui.
Sæpe vel in sacros studuit penetrare recessus,
Nec procul à Divûm Relligione fuit.
Nunc ubi tam celebri specimen Duce sistitur orbi,
Fama suum rectis passibus urget iter.
Lætor, & egregiis faveo plaudoque triumphis,
Ac Clarum Patriæ gratulor inde Virum.

Amico & Commensali suavissimo dabat

JO. GEORGIUS NEUMANNUS, D.



E Gregiô cursu conscendis culmen honoris,
Ex quo Te meritò præmia magna manent.
Leucoris certatim solennia gaudia jungit,
Et disceptanti dat pia vota Tibi!

G. MICHAEL HEBER. D.

Juveni gente patricio & ingenio florenti

Dn. FOCKIO

Publicè diſputanti

S. P. D.

JO. HENRICUS BERGER D.

GAviſus primum ſum vehementerq; lætatus, quod mentem Tuam humi defixam non eſſe intellexi, ſed Te ad audiendum non minus inexhauſtam diſcendi aviditatem quàm ingenii docilitatem & mores emendatos afferre. Poſtea vero quam Tibi conſtitiſti, cogitare cœpi, nec Te inani quodam impetu incitari, quem labor mox retundat, ſed magna Te ſpectare ad eaq; rectis ſtudiis contendere. Neque unquam de Te exiſtimare deſtiti. Video enim adeo Te in his ſtudiis non refrixisſe, ut majores ſpiritus indies magis magisq; ſumſeris, nec conquieveris in Jure Civili ſed undecunq; conquiſiveris omnia & ſepoſueris, quibus hæc ſcientia Tibi fieret inſtructior. Hoc diligentiæ teſtimonium ſatis ſit. Sed prudentiæ ſpecimen dediſti, quod doctis viris familiariter uſus es & in eorum convictu, quoad nobiſcum fuiſti, conſtanter manſiſti, imprimis quod à latere Viri Cl. CONRADI SAMUELIS SCHURTZFLEISCHI nunquam diſcesſiſti. Ab hoc enim reconditas & interiores literas didiciſti, & omnia doctrinæ adjumenta habuiſti. Ac tantum abeſt, ut nunc demum ſecus de Te, atq; antea, ſentiam, cum tali & tanto duce de rebus graviſſimis, inſpectantibus & audientibus doctiſſimis hominibus, diſſeris, magnoq; omnium aſſenſu agis: ut potius de Te non amplius conjiciam beneq; ſperem, ſed omnibus argumentis convictus plane confidam, his virtutibus Tuis mox futurum, ut Patris patriæq; exſpectationem laudum exemplis vincas & ornamenta ampla & cumulata domum Tuam gloriâ opibusq; fundatiſſimam inferas. Vale!

Non

VI

NOn facere possum, quin tibi, FOCKI NOBILISSIME, enixe gratuler egregios conatus, studiumq; tuum in suscipiendis & perferendis laboribus, qui tum ad artem æqui boniq;, tum ad rerum gestarum monumenta pertinent, magnopere commendem. Nuper admodum cum in Themidis campum descenderes, quænam vis ingenii tui, qui cultus, quæ legum peritia, ostendisti, atq; ita quidem egisti id, ut applausum merueris & approbationem. Nunc quia plenissime intelligis, quantum in historia illi situm, qui vitam civilem & prudentiam sectatur, atq; non obscuro in loco, sed in luce versari cupit: nobile & elegans argumentum & vulgi captum superans aggrederis, atq; hac doctrinæ fiducia laudes tuas cumulas, & ad altiora tibi sternis viam. Qua in re cum Ducem nactus sis Græca & Latina facundia celeberrimum Virum, rerum populorum omnium atq; temporum scrutatorem solertissimum, consummatissimumq;, quam maxime te felicem & fortunatum esse judico: nam ita habeo multum referre, uti in alio, ita in hoc præsertim studiorum genere, quibus autoribus & magistris indoles utatur cupida & capax juventutis. Virtus quidem sibi ipsi præmio est, nec aliunde expectat mercedem: sed & illustris Patria tua tot tantisq; exemplis docet probatq; justo loco haberi & ex æquo æstimari clara facinora, & fructus ferre labores & vigilias maturos & cumulatos. Quos tibi non defuturos esse haud vane ego auguror, cui ex domestica consvetudine elegantia morum quoq; & modestia tua perquam nota est & perspecta. Illos ut DEUS immortalis & tibi & qui magnam de te spem alunt, optimis & Nobil. Parentibus, & laudatissimæ Patriæ bene evenire sinat, ex animo precor & opto. Vittebergæ apud Saxones. Pridie. Calend. Decembr. Ann. M.DC. XCIII.

C. H. Horn. D. P. P.

B. C. D.

SCribitur AVSTRASIAE Regnum Doctiſſime FOCKI,
Hocce Tuo calamo judicioq; gravi.
Ingenio condigna Tuo eſt, eſt ungveq; roſo
Materies, & qvae ſcrinia priſca quatit:
Candore heic opus eſt, non blandimenta requirit,
Qvae Domino eripiunt, qvod fuit ante ſuum.
Dux Tibi Germanus Doctor SCHVRZFLEISCHIVS ibit;
Hunc ſeqvere, ut vero tramite rectus eas.
TE Lotharigenae, & Belgae venerentur utriq;,
Alſata vindiciis det bona verba Tuis.
TEq; Moſella parens frugumq; Virumq;, bicornis
TE Rhenus, Scaldis, TE Moſa rite colant!

Nobiliſſimo Dn. FOCKIO J. V. Candid. digniſſ.

H. M. L. M. Q. Pos.

GEORGIVS FRANCVS de FRANKENAV,
Aliqvot S.R.I. Elect. ac Principp. Conſil. & Archiat. Com. P. Caeſ. Prof. P. Acad. Curios. & Italicae Recuperatorum-Collega.

Tempo-

VIa

TEmpora longa Patrum, Veterum monumentaq; nosse,
Qvicquid & Annales scriptaq; prisca docent:
Ingenii studium certe cœlestis habetur,
Et scriptis magni judicioq; Viri;
Nec tamen hoc obstat mi FOCKI, qvo minus omnem
Inde Tibi laudem *Leucoris* alma ferat.
Nam Tibi cum rigidi post trita volumina Juris,
Volvisse Historicos, unica cura fuit:
Jam quoq; sub nostro doctis Polyhystore noto
Pulpita Leucoridum non sine laude petis;
Sed sermone gravi multo applausuq; tueris
AUSTRASIÆ leges finitimosq; locos.
Sic illustre decet *Nomen Generisq; Nitorem*
Per varias Artes nobilitasse suum,
Ingeniumq; capax docta ratione polire,
Ut, cum quid statuit, nil juvenile sonet:
Quod cum *Charta* Tuum præclarum mentis acumen
Hæc præsens rutili tollat ad astra Poli,
Ac stupeant Musæ nostræ, Tibi jure præcantur:
In patriæ laudes crescere perge tuæ!
Moxq; adsit tempus Tibi quod majoris Honoris
Pondus, & ex Studiis digna brabea ferat!

Faustæ adclamationis E. scribebat
JOH. CHRISTOPH. WICHMANSHAUSEN. P. P.

Noch

Noch mehr als tausend lauffen in den Schrancken/
Nur einer aber nimt das Kleinod auff:
Viel fangen bald von Anfang an zu wancken/
Die meisten bringen nicht hinaus den Lauff/
Weil in Gedancken sie die Kunst nur schauen/
Und in der Lufft sich güldne Schlösser bauen.

Ein Ander handelt nicht mit gleichem Glücke/
Ob einen grössern Trieb er bey sich fühlt:
Den andern hält der Mangel offt zurücke
Von dem/ worauff sein scharffes Auge zielt;
Dir aber fehlet nichts von solchen Sachen
So deinen Ruhm unsterblich können machen.

Dein Zweck ist nicht auff eitlem Ruhm bestanden/
Du hast der rechten Weißheit nach gestrebt:
Von dir wird selber Zoilus zu schanden.
Wir haben dieses Glück bereits erlebt/
Daß deine Jahre tausend Früchte bringen.
GOtt segne ferner dich in allen Dingen.

Seinem werthesten Gönner und Freunde
wolte dieses glückwündschend
zuschreiben

Desselben gantz ergebenster

Carl Christoff Schuchart.





CAP. I.

AUSTRASIAE ORIGO ET NOMEN, APPELLATIONES DIVERSAE, ET RES GESTAE SUB REGIBUS MEROVINGIS.

I.



Rancia, qua Orientem ſpectat, inter Rhenum Moſamque ſita, regnantibus Merovingis, Auſtria, & interdum producto vocabulo, Auſtraſia dicebatur.

II. Hinc paſſim Auſtraſii, & Auſtraſiani in monumentis Francorum celebrantur, eorumqve Reges, diviſa in quatuor partes Francia, juſto rerum ordine, commemorantur.

III. Quae diviſio ab exceſſu Clodovaei, Magni Franco-gallorum Regis, inſtituta & peracta eſt, anno poſt Christum vulgari quingenteſimo & undecimo, quo Theodoricus, natu major, ſed ex concubina ſusceptus filius, regno aequis partibus diviſo, Auſtraſiam in ditionem poteſtatemqve ſuam redegit.

IV. Haec est solennis illa, cujus Agathias Scholasticus meminit, quadripartita divisio, qua Franci Orientales & Austrasii, Theodorico notho attributi, separatas a Francia Neustrica rationes habuerunt,

V. Meminit hujus tam insignis, tamque apud Francos testatae divisionis Gregorius Turonensium antistes, scriptor Francorum antiqvissimus, Franciamque inter quatuor Clodovaei M. filios distributam fuisse tradit, *lib. III, cap. 1. hist. Francor.*

VI, Quae cuique pars in divisione obtigerit, mentione sedium, & illustrium regni cujusque & aulæ domiciliorum facta, exponit definitque Fredegarius, quum Theodoricum (quem ipse Theudericum nominat) in urbe Mediomatricorum regno impositum affirmat. *Sortitus est sedem Theudericus Mettis: in hist. Francorum epitomata cap. XXX.* Haud dubie enim Mettis, sive Metis (non Meltis) sine mendo, pro captu sequioris aevi scribendum. Erat enim ista urbs Regum Austrasiae sedes, ubi inaugurati, & in regni fastigio collocati sunt, *ut liquet ex gestis Dagoberti a monacho sancti Dionysii perscriptis, & ex scriptore vitae Sigeberti Regis. Alios enim consulto praeterimus.*

VII. Theodorico rebus humanis erepto, successit Theodobertus filius, qui cum patre arma sumsit, movitque trans Rhenum; nec fortuna expeditioni defuit, & subacta armis Thuringia, eversoque fortunis

tunis Hermenfrido, insignis Germaniae trans rhenanae portio ad Unstrutum usque regno Austrasiae accessit. Patre, cujus auspicio haec gesta sunt, mortuo, decem & quatuor annis Theodobertus regnum tenuit, Burgundiaeque partem, Godomaro Burgundionum Rege submoto, cum Francia Austrasica, pactione prius cum patruis inita, conjunxit. *In hanc rem legendi & componendi sunt Marius Aventicensis, & Gregorius Turonicus, ille in chronico, quo Prosperi Aqvitani chronicon persecutus est, iste hist. Francor. lib. III. cap. ult. Eo spectant gesta Regum Francorum ex Gregorio Turon. potissimum excerpta, cap. 19. 22. 25. Hinc Aimoinus, qui mortem Theodoberti in annum regni XIII. rejicit, corrigendus est, hist. Franc. lib. II. cap. 25.* Extant tres Theodoberti epistolae ad Justinianum Magnum, inter epistolas Francicas, quas primum edidit *Marq. Freherus*, in qvibus & Imperatori honorem servat & dignitatem, in tertia praecipue suam tuetur, enumeratis populis, sigillatim Thuringis, qui legibus ejus parebant. *Agathias* commemorat, bellum, si longius vixisset, Justiniano, quod titulo Imperatoris Francici uteretur, conflaturum fuisse, *lib. I.* Ante Agathiam *Procopius* testatur, Theodobertum pleraque per Italiam & Liguriam loca, constantibus adhuc induciis, occupasse, aut stipendiaria fecisse, eaque a filio repetiisse, *lib. IV. Historiae Goth.*

VIII. Patre mortuo, regnum suscepit Theudo-

 aldus,

aldus, in quo Theodorici, Austrasiorum Regis, propago defecit. Rex equidem pius, & nulla pravitate corruptus, sed valetudinarius, quietisque cupidus, tranqvillum vitae genus omni externae felicitati praetulit, nec patri, neque avo consilio & virtute par, omissis belli artibus, de more majorum deflexit, nec diu regno, non gloriose gesto praefuit, quippe quod non plus septem annis tenuit & administravit. *Apud Marium Aventicensem in Chronico P. C. Basilii Anno XIV. Ind. III. Cum quo consentiunt rationes temporum, quae annum Ch. signant DLV.* In *anno regni septimo, quo obiit, congruunt Turonicus hist. lib. IV. c. 9. & auctor incertus libri, qui scribitur gesta Francorum cap. XXVII. Iste etiam omina & signa, quae mortem praecesserunt, memoriae tradit, & corpore parum firmo, ac tenui valetudine fuisse confirmat. De pietate testatur Aimoinus, sed ita, ut crudelitatem non dissimulet, hist. Francor. lib. II. cap. 25. Foedus, ad quod eum contra Gothos invitavit Justinianus, propter amicitiam cum Gothis contractam detrectavit, auctore Procopio lib. IV. Morbum, moremque ejus ab animo generoso, & armorum studiis alienum, indicavit Agathias, lib. I.*

IX. Theudoaldo vita functo, ex transverso agnatorum ordine successit in regno Austriae Clotharius, robusto Rex corpore, & aetate adhuc integra, nec minori fama, rebus bello gestis parta, ad quam singularis prosperaque fortuna accessit, quod fratrem Childebertum, pari & aequo jure prædítum, sed viribus

IX

bus inferiorem, filiorumque expertem, metu potentiae absterritum excluderet, & solus hereditatem Austrasiae adiret, eoque sine maribus decedente, magnum insuper Franciae regnum sua unius potestate complecteretur. *Agathias externus quidem, sed non spernendus scriptor, ex Francis tamen supplendus interdum & corrigendus. lib. I. Cum qvo jungendi sunt Gregorius Turonensis hist. Franc. l. IV. cap. 9. Fredegarius hist. Francor. epitom. cap. L. Ante utrosque Marius Aventicensis loc. cit. Aimoinus quoque non caute in rationibus temporum versatus est, causamque succedendi a voluntate & beneficio Theudebaldi deduxit, sed cum de eo superiores historici taceant, actaque illorum temporum aliud ostendant, non possum suffragari Aimoino lib. II. c. 25. Nihil addo de varia scriptura nominum Theudebaldi, Theudobaldi, Theodobaldi, quae per se patet, nec fidem historiae mutat. Eodemque modo nil prohibet, scribaturne Chlotharius, an Chlothacarius, modo nihil de rei veritate detrahatur.*

X. Post Clotharium, hujus nominis primum, Sigebertus inter quatuor superstites ejus filios natu minimus, Austrasiam ex novae partitionis formula consecutus est, eamque anno DLXI. quo decessit pater, suo deinceps auspicio regendam accepit. Sed aliquanto post, profligatis in Thuringia Hunnis, victor ad suos reversus, bellum fratri Chilperico intulit, quod impedito se, & armis hostium distracto, aliqvot

ditionis

ditionis suae urbes occupasset. Collecto igitur exercitu, ad ulciscendam fratris injuriam contendit, & urbes, se absente, interceptas, patefacto armis aditu, rursus in ditionem suam redegit, erepturus qvoqve ei regnum, nisi Fredegundis reginae scelere sublatus fuisset. Igitur quarto decimo regni anno Sigebertus vivere desiit, relicto unico filio Childeberto, qui patris successor An. post natalem Christi DLXXV. Rex Austrasiae inauguratus, & mortuo Guntramno patruo, quod An. DXCIII. accidit, regno Burgundiae auctus est, cujus aeque fortitudo ac prudentia laudatur. Tribus post annis, quam Burgundiones cum regno conjunxit, e vita excessit, cujus alter filius Theodebertus Austrasiam, alter Theodoricus pro sua parte Burgundiam est sortitus. *Nova isthaec quadripartita divisio, quae post decessum Clotharii I. evenit, monumentis mandata est a Paulo Varnefridi lib. II. c. 10. de gestis Langobardorum, ubi Aripertum scribit, quem Franci Charibertum; Guntramnum quoque hi Chuntramnum, alii Guntegrammum signant. Hic vero cum Chramno, Clotharii I. filio, qui nimia patris indignatione miserabiliter periit, confundi non debet.* Lu*cem Paulo Diacono afferunt Episcopus Lausannensis, P. C. Basilii anno XX. ind. IX. inprimis Antistes Turonicus lib. IV. cap. 22. hist. Franc. Fredegarius hist. epit. cap. LV. His addi possunt fragmenta ex vita S. Medardi, & S. Columbani, nec non Venantius Fortu-*

natus

natus carm. histor. lib. VII. Recentiores plerique, inter hos Bussierius, non accurate in exponendis horum temporum rebus versantur. Hunnorum adventus, qui in aetatem Sigeberti incidit, bis factus memoratur; alter Sigeberto, fuso fugatoqve hoste faustus, alter, cum viribus collectis redirent, non ex animi sententia fuit. Non enim tunc armis pulsi, sed donis placati discesserunt, ut est apud Gregorium Turon. lib. IV cap. 23. & 29. Non hic omiserim Childebertum ritu Christiano emendasse Bojorum leges, cujus rei initium fecit ante eum Theodoricus Franciae Austrasicae Rex, ex eoqve instituto laudem collegit. V. prologus legis Bajuvariorum apud Frid. Lindenbrogium in codice legum antiquarum. Divisio inter duos Childeberti filios consignata est ab Aimoino lib. III. cap. 84. hist. Francor. Eodem spectat Trithemius in compendio annalium Franc. non spernendae vir industriae, sed in supputatione temporum sibi non constat.

XI. Theodobertus II. initium regni tranqvillum habuit, sed fratre Theodorico, ad arma promto nimis & strenuo, invitante, castraque jungente, bello implicatus, movit adversus patruelem Clotharium II. eiqve victo duras conditiones tulit, & insigni regionum parte, quae victoribus obtigit, mulctato, duodecim pagos inter Isaram ac Sigonam, spatio ad Oceanum porrecto, sitos tantum possidendos reliqvit. Gesta haec sunt anno post C. N. sexcentesimo, incitante

tante avia Brunechilde, quae regno Austrasiae pulsa, in Theodorici regia versabatur. Neqve diuturna ea pax, nec sincera fuit, qvum Clotharius II. gravioris damni memor, partem superiori pactione cessam Theodorico & traditam invaderet, ac devastaret. Qua injuria hic commotus, comparavit quam potuit maxime copias, contractisque auxiliis, hosti obviam profectus, Meroveum Clotharii II. filium, instructa acie pugnantem cepit, multos, & inter hos Landericum, in fugam egit, reliquos, cum evadere non possent, delevit. Victor nihil cunctandum ratus, exercitum usque Parisios duxit, urbemque ingressus, est; cui hactenus amico & socio, frater ob nimiam potentiae accessionem, diffisus, neque inani suspicione ductus, pace cum Clothario inita, fœderi fraterno nuncium remisit. Hoc principium offensae haud temere existimaverit, qui rerum illa aetate gestarum annales non cursim leviterque inspexit. Odium hoc indignatione sua fovit Brunechildis, quam ex urbe & aula Metensi ejectam suscepit alter ejus nepos Theodoricus, quem subinde instigavit ad petendum armis nepotem alterum, & pridem sibi invisum, objectoq; natalium vitio, in odium, conflato etiam belli periculo, adduxit. Obsecutus monenti Theodoricus, expedivit copias, jamq; ad praelium cum fratre committendum paratus, hortatu Optimatum arma posuit, & caeso, qui nihil moderatum suaserat, Protadio, metu confusus

fusus

fusus meliori consilio cessit. Demum ingravescenti malo cumulum attulit novissima inter fratres contentio de Alsatia, quam pater eorum a regno Austrasiae sejunctam, cum tribus aliis tractibus Theodorico, Burgundionum Regi, assignavit. Hoc cum acerbe ferret Theodobertus, & de jure ac dignitate sua detractum putaret, non temperavit sibi, qin tractus vel ut ad se pertinentes reposceret, armisqve vindicaret. Quamobrem Theodoricus, inclinato ad pacem animo, conditiones cedendorum Comitatuum accepit & praestitit, cum aestimata suorum paucitate, magno fratris exercitui resistere non posset. Qvibus rebus, praeter Alsatiam, regno Austrasiae denuo conjunctam, tres finitimi tractus, Sugintensis, Turensis, & Campanensis in potestatem ditionemque Theodoberti anno, ut nostrae rationes sunt, DCX. redierunt. Quae pax ut iniqua, tempoporum quippe necessitate expressa, Theodorico visa est, sic ejus animum accendit magis ad repetendam Alsatiam, recuperandosque tractus, quos pactione Salissonensi abalienaverat, sed perinvitus. Unum ergo ad tantae rei spem excitato restabat certamen, quod fraternas discordias alterutrius exitio finiret. Sumtis enim utrinque armis, apud Tullum, & deinde rursus apud Tulbiacum congressi, praelio, in quo Summa rerum vertebat, experiri coeperunt. Victus fugatusque Theodobertus, se recepit ad Ubios, ubi captus,

ptus,

ptus, & victori deditus, rogatu Brunechildis sacros Ordines, quod ei Columbanus praedixerat, profiteri jussus, nec multo post odii explendi causa caesus, regnum simul & vitam amisit. Duo ejus filii, Clotharius & Meroveus, comprehensi, & morte mulctati sunt, quorum patruus regnum Austrasiae armis subactum non diu tenuit, & fratre sublato, Clotharium oppugnaturus, ex alvi profluvio interiit, in ipsa Mediomatricorum regia, ubi tunc degebat. *Ionas Abbas in Vita Columbani, post hunc Fredegarius Chron. cap. XVI. Utroque recentior Chronographus Moissiacensis, quem industriae Francisci Bosqueti debemus, in Mauritio Imp. ann. III. & post hunc quoque Aimoinus Chron. lib. III. cap. 84. Theodobertus successit patri Childeberto in regno Austrasiae, quod & regnum Theodorici dicitur a primo Clodovaei M. filio, quippe Austrasiam ex divisione nacto, ut praeter superiores, quos adduxi scriptores, confirmat Rorico Monachus in gest. Franc. lib. IV. fin. Alter ejusdem Childeberti filius regnum Guntramni, ut Aimoinus nominat, id est, Burgundiae, accepit, & post multas fortunae vicissitudines, superato atque interfecto fratre, occupavit, sedemque Divoduri Mediomatricorum fixit, & ibi fatis concessit, ut tradit auctor appendicis ad Marii Ep. Chronicon. Mores Theoderici cum dominatu conjunctos prodit Anonymus in vita Betharii. Auctor incertus, qui compilavit gesta Francorum, scribit, Theodericum scelere Brunechildis*

vene-

XII

veneno sublatum, cap. XXXIX. Quod scriptores aetate & auctoritate priores tacent, recentiores vero plerique tradunt potius, quam evincunt. De causa belli, inter fratres cum alterutrius clade ac interitu gesti, nihil addo, nisi quod in vita Columbani legitur, de regni finibus inter eos fuisse disceptatum, cap. XXVI. Mutua potentiae aemulatio, metusq; ambitione mixtus, & pactionis Salissonicae anno DC. conventae invidia, & exaggerata iniquitas, tractuumque ea cessorum, & amissae inprimis Alsatiae acerba recordatio, tum pacis quoque cum Clothario II. initae odium, ac non obscura vindictae cupiditas, & conjungendi utriusque regni desiderium haud omnino reticeri hic debent, quae fratres, fortuna viribusque dispares, in mutuam perniciem exitiumque armarunt.

XII. Postea Austrasii non recusantes susceperunt, regniq; insignibus decorarunt Sigebertum, natu majorem Theoderici II. filium, eumq; anno DC XIII. apud Mosellanos & Mediomatricos in vacuo patris solio collocarunt. At repugnavit ei & restitit Clotharius II. animoque ad ultionem excitato, regnum cum vita eripuit, clademque & necem Merovei filii, supplicio de majore Theodorici filio vicissim sumpto, vindicavit. Ita vero Clotharius II. regnum Austrasiae a crudelitate orsus, totius Franciae Rex evasit, magnisque viribus, nec minori auctoritate, sublata Theodorici II. propagine, solus regnavit. *Sigebertus hujus*

 nomi-

nominis II. Rex Austrasiae factus & inauguratus est, testibus auctor. appendicis ad Marium Aventicensem, & Iona in vita Columbani. Non ergo solum destinatus, sed etiam declaratus Rex est, quod Fredegarii causa observandum est, qui Iona recentior, de conatu & destinatione Brunechildis, Sigebertum in regno patris instituere (successorem) nitentis loquitur. Chron. cap. XXX. At hic nisus cum effectu intelligendus est, eodemque modo exponendus scriptor vitae Faronis, qui destinatum in regno successorem testatur c. XXXII. Ubi destinatio a declaratione non debet sejungi, contra quam aliis placet, sequentibus auctorem, qui gesta Regum Francorum compilavit, cap. xxxix. A quo sequiores decepti, nihilo veriora scripserunt. Victus captusque est Sigebertus, ad Axonam fl. in campis Catalaunicis Galliae Campanae. Quatuor filios Theodoricus II. moriens reliquit, inter quos Sigebertus II. Corbus & Meroveus clade accepta, vivi in potestatem Clotharii II. venerunt, nec multo post jussu victoris occisi sunt, servato duntaxat Meroveo (cujus ad sacrum fontem sponsor Clotharius fuit) dilapso autem Childeberto, qui celeriori equo vectus evasit. V. Fredegarius cap. xlii. ad eumque alii exigantur.

XIII. Eodem anno Clotharius II. Austrasiae Rex effectus est, quo Sigebertus II. adolescens, consumptis duntaxat paucis regni mensibus, regum propaginis suae ultimus, fœde periit ac sublatus, est, ab eoque

tempo

tempore, auſpicio novi Regis Clotharii, Rado praefectus Auſtraſiae impoſitus, ſolenni Francorum nomine *Major domus* appellari conſvevit. Quae mutatio A. DCXIII. accidit, quando Auſtraſia ad reges Neuſtriae rediit, neque tamen cum regno hoc permixta, aut tali nexu conjuncta eſt, ut priſtinum nomen amitteret, juraque & fines utriusque regni, contra morem exemplumque Franconum, confunderentur. At Clotharius, de quo dixi, rebus ex animi ſententia geſtis, bellisque compoſitis, *magni* nomen adeptus eſt, regnumque Auſtraſiae, ſexdecim fere annis ſervatum, nihil contra molientibus Auſtraſiis, tenuit, ac recepto in adminiſtrationis Auſtraſiae partem natu majore filio, A. DCXXIIX. e vita migravit, cujus in locum ſucceſſit Dagobertus, qui vivo & volente patre, Auſtraſiam aliquot annis hactenus regendam ſuſceperat; eo autem mortuo, ſubita & proſpera expeditione, adjuvantibus Auſtraſiis, ad Burgundiones & Francos Neuſtraſicos contendit, & utrisque in fidem acceptis, meliori fortuna, quam jure, excluſit Charibertum fratrem. *Fredegarius Chron. cap.* XLVII. *auctor eſt, Dagobertum a patre Clothario II. hanc iniiſſe gratiam, ut de voluntate ejus Rex Auſtraſiae conſtitueretur, exceptis tractibus verſus Arduennae ſaltum, & Voſagum montem ſitis, quos retinuit Clotharius, & ſuae ditioni adiunxit. Sed poſtea Dagobertus, quam duxit uxorem Gomadrudem, detractas a pa-*

tre portiones reposcebat, qui procerum obtestatione victus reddebat, praeter illud terrae spatium, quod conventum utrinque, & citra Ligerim definitum erat. Hoc enim idem ille scriptor confirmat. Prior autem pactio incidit in Ann. DCXXII. *Posterior ad annum* DCXXV. *pertinet. Consequens est, ut dicam, diversa ratione supputandos esse regni Dagobertini annos, ita ut prius Austrasici, quod sex annis Dagobertus tenuit, deinde Neustrasici, quod Monarchiae nomine scriptores Franci insigniunt, initium capiatur. Vid. fragmenta de rebus Dagoberti ex vita S. Eligii, qui Dagoberto perfamiliaris fuit, deprompta. Non vero nulla ejus ratio habenda est, quos rerum documenta, & fines, quamvis saepe mutati, distinguunt evidenter ac secernunt. Monarchia, quam Dagobertus, extincto patre, consecutus traditur, spectat ad magnam utriusque regni, Austrasiae pariter ac Neustrasiae, conjunctionem, & voce illa eminentiam indicat, non autem propterea regnum Austrasiae excludit, abolet aut tollit.*

XIV. Dagobertus aliquot ante mortem annis, saluti Franciae consulendum ratus, Sigebertum, impuberem adhuc filium, Austrasiae imposuit, patrisque Clotharii exemplum secutus, utile hoc rebus suis putavit fore. Idcirco additi vitae morumque rectores, quibus idoneam educandi rationem praescripsit, accito, cui diffidebat, in Neustriam Pipino, qui titulo *majoris domus* apud Austrasios curabat, sed de poten-

tia

XIV

tia & ambitione suspectus. At prudenter moderateque fecit Pipinus, neque ulla gloriae cupiditate abreptus est, ut ab officio discederet, statumque regni, etiam Dagoberto mortuo, perturbaret. *Dagobertus, hujus nominis primus, A.* DCXXXVII. *diem supremum obiit, cujus frater* Charibertus, *attributa Galliae Aqvitanicae parte, & sede Tolosae constituta, appellatus est Rex Aquitaniae, quam tamen integram ditioni suae subjectam non habuit, ut est apud Fredegarium, locupletissimum hujus rei testem. Aribertus (qui & Charibertus, aliis quoque Haribertus)* sedem Tolosanam elegens (*verbum rudis seculi*) regnat in parte provinciae Aquitanicae. *Cap.LVII. Elegit quidem Charibertus hanc sedem, sed regionem, qua Tolosa continetur, & partem* Aquitaniae, *concessu Dagoberti, non cum libertate eligendi obtinuit, ea vero lege, ut omni jure in reliquam Franciam cederet, pactoque semper valituro confirmaret.* Accepit *conditiones, qvas fratri impar, recusare non potuit* Charibertus, *subacta prius, quam e vita decesſit, universa Vasconia, qvae cum aliis tractibus, auspicio Dagoberti, ad regnum ditionemqve Franciae Neustricae reducta est, cum frater Charibertus, iam tertio regni anno decesſisset, nec filium, cui Chilperico nomen fuit, diu superstitem reliquisset. Fredegar. cap. LXVII. Aimoinus lib. IV. cap.* 23. *Papirius Massonus annal. lib. I. in Dagoberto, cui*

sim-

simplicitatem, regno minime idoneam, objecit scriptor vitae Sigeberti III. Ex quo sequitur, Charibertum non fuisse Regem Franciae, sive Austrasica, sive Neustrica intelligatur. Hinc in Chronicis, quibus series & successio Regum Francorum traditur, omissus est, nominatim in Tiliano, fragmento Erchanberti, & aliis haud suspectis monumentis. Nisi quod Chronicon Moïssiacense ea parte, qua mutilum est, divisionem innuere videtur, ad ann. XLV. Clotarii. Sed hiatus ibi nihil probat, & auctor hujus Chronici, qui post Merovingos floruit, commoda interpretatione juvari, & suppleri potest ex scriptoribus aevi prioris sigillatim ex Fredegario, qui regnantibus Merovingis, Sigeberto & Clodovaeo junioribus, Chronicon consignavit, cujus additamentum stylus prodit, quod est ab auctore multo recentiori. Quia vero Aquitania est pars Franciae Neustrasicae, ipse Fredegarius non dubitavit regionem Chariberto attributam, nominare regnum Francorum, c. LXXVIII. perinde ac si dicere voluisset, regnum Franciae Aquitanicae, sive Aquitaniae, ut diu post Fredegarium scripsit Aimoinus, libro & capite, paulo ante nominatis. Non vero nunc exquiro artes regnandi, quibus circumventus est Charibertus, neque excutio mores Dagoberti, quos vitiis mixtos fuisse constat. Tantummodo hoc addo, multos

esse,

esse, qui hunc Dagobertum cum altero, ejus nepote, & Sigeberti filio, confundant: quod ne fiat, cavendum, & tempestive admonendum reor. Hujus erroris compertus est Jodocus Coccius, cujus extat liber, qui inscribitur Dagobertus Rex, Argentinensis Episcopatus fundator, *edit. Molshemii A. M DC XXIII. Equidem ambo Dagoberti, alter post alterum, de Austrasia, & amplissimis Austrasiae sacerdotiis Antistitumque sedibus, speciatim de Argentoratensi bene meritus est, idque errandi causam dedit scriptoribus, coeteroquin diligentibus & doctis. Post Coccium accuratiori studio perqvisivit & distinxit hos Reges Godefr. Henschenius, edita* de tribus Dagobertis diatriba, *sed neque is omnes historiae hujus partes ita perscrutatus est, ut expectationi nostrae per omnia satisfaceret, cum res actaque Dagoberti I. & II. distincte magis explicateque reddere debuisset. Id quod merito etiam in eo desideravit Cointius, Annal. Eccl. Franc. t. III. ad an. 637. Sed in Cointio quoque licet observare turbatas interdum rationes temporum, & nimium corrigendi studium, quod in Fredegarii Codice liquet, in quo emendando licentius aliquando versatum animadverti, neque id nescivit Petrus Franciscus Chiffletius, qvi novissime in definienda Dagoberti senioris aetate elaboravit, edito libro, cui titulus est,* Bedae & Fredegarii concordia, *qua continetur dissertatio de annis Dagoberti, A. M DC LXXXI. De Pipino, qui per ea tempora, quibus Clotharius*

rius & Dagobertus ſenior regnarunt, *titulo* Majoris domus, *negotia regni adminiſtravit*, *legendus eſt perantiquus ſcriptor*, *ſed Merovingorum aevo recentior, qui ad Pipini hujus non-Regis abnepotem uſque & Regem pervenit, apud Ducheſnium t. I. p. 594. ſeq.*

XV. Regnante Sigeberto III. Dagoberti I. filio, Auſtraſia (a Franciae Neuſtricae limite) cis Rhenum, pacata fuit, ſed fines ejus, trans Rhenum, incurſionibus Thuringorum patuerunt, & turbati ſunt, impulſore quodam gentis duce Radulfo, qui Vinedorum amicitia nixus, communi popularium conſenſu arma ſumſit, & Sigebertum aggreſſus, acri certamine copias ejus diſſipavit, ſed is, cum per fortunam non poſſet aliter, incolumitatem abeundi pactus, redintegratis paulatim viribus, Thuringos inflexit ad obſeqvium, & retinuit provinciam, ſitu commodam ac fertilem, priſtiniſque Francorum legibus conſtitutam. Firmato jam regno, de ſucceſſore cogitabat Sigebertus, & Grimoaldo majore praefecto negotiis adhibito, ſapienter regni ſtatum ordinbat. Aliqui tradunt, Childebertum, Grimoaldi filium, ſi ipſe quidem, non relicto herede, decederet, eo in regno, confectis ad eam rem tabulis, ſuccedere voluiſſe. Sed nato poſt filio Dagoberto, metu orbitatis ſolutum, iſtud decretum, qvod ante fecerat, irritum & infectum reddidiſſe, nec propterea Grimoaldum a regni adminiſtratione ſubmoviſſe, & cum moriturus eſſet, unicum qvoq;

filium

filium fidei ejus credidisse, quod nihil alienum vita & munere superiori commisisset. At parum memor beneficiorum Grimoaldus, fefellit spem Regis, eoque mortuo, Dagobertum juniorem, contra quam promiserat, sacris Ordinibus initiatum, dimisit in Scotiam, ut procul regno esset, & a patria remotus, fortunam, si adolesceret, moderatius ferret. Cujus facti indignitate permotus Rex Neustriae Clodovaeus, Sigeberti frater, injuriam patrueli factam ultus est, vafrumque & perfidum Grimoaldum morte multavit, cum id e re publica existimaret, ut verus legitimusque heres in pristino regiae dignitatis gradu collocaretur. Quod usu evenit, dejecto, quem reus sceleris pater admoverat, Childeberto. *Hujus rei gratia legendus est post Fredegarium, qui in Sigeberto III. historiam finiit, Sigebertus scriptor, quem fuisse monachum, non est, cur dubitem; plerumque, nec injuria, Gemblacensem vocant, qui multa de Sigeberto rege tradidit, quae apud alios frustra quaeramus. Omnino enim confirmat, Sigebertum non destitisse ab incepto recuperandae ejus provinciae, superbiamque domuisse hostium, & Thuringos, impulsore Radulpho rebelles, in ditionem imperiumque Franciae Austrasicae redegisse, vel, ut suis ipse verbis tradit*, sub jugo dominii sui victos & confusos reflexisse. *Quod testimonium in tanta rerum caligine, scriptorumque inopia haud praeterire debui, neque ab Hadriano Valesio omissum est, quo conficiamus, receptam*

a Sigeberto fuisse Thuringiam; contra quam alii scribunt, Sigeberto mortis causam extitisse amissae Thuringiae dolorem. Hujus sententiae sunt P. Massonus, P. Berthault, neque rectius sentiunt, qui memorant, Sigebertum inter & Radulphum convenisse, ut illo in Austrasiam redituro, hic obsequio solutus esset, quod narrat Busſieres, & mendose Rodulphum *scribit, lib. III. hist. Franc. Nec vero quis credat, passurum fuisse Clodovaeum, Sigeberti fratrem, ut Radulphus cum injuria Francici nominis Thuringiam teneret, suique juris princeps esset, causamque adeo fratris, cum genere sangvineque suo coniunctam negligeret, pro quo ante hac in regnum restituendo neque operam, neque laborem recusarat. Quin & hoc argumento in dubium voco narrationem Sigeberti scriptoris de adoptato Grimoaldi filio, quam ne credam, multa prohibent; illud maxime, quod Sigebertus Rex nullum jus adoptandi habuit, cum, fratre superstite, id facere non posset, utcunque etiam vellet, quippe in regno ejusmodi, in quo generis sangvinisque dignitatem versari sciret. Tum vero Sigeberti Regis aetas nondum effoeta, sed integra erat & florens; ut nihil causae esset, cur adoptandi consilio desiderioque duceretur. Reperiuntur tamen haud pauci, inprimis recentiores, atq; inter hos novissime Pradius, qvi adoptionem hanc tuetur. Ambitio eqvidem Grimoaldi non obscura erat, quando suae sortis oblitus, Dagobertum, verum ac legitimum heredem, patre mortuo, de regno detrusum*

sum

ſum, in Scotiam (quo nomine ſequiores Hiberniam appellant) relegavit. Legendi hic & componendi ſunt ſcriptores vitarum S. Remacli, S. Boniti, & ipſius etiam Sigeberti III. Regis.

XVI. Regnum Auſtraſiae, ſublato Grimoaldo, non ad Dagobertum, cui praereptum fuerat, rediit, ſed Clodovaeo II. Neuſtriae Burgundiaeque Regi, relicto in Hibernia patruele, ceſſit. Quo id anno acciderit, diſſident plerique ſcriptores & variant, ſed rationibus a Sigeberto confectis congruit annus Ch. DC LVIII. quanquam alii malunt DC LXIII. Mea tamen ſententia propius vero accedunt, qui argumentis rerum & temporum indicant annum DC LIV. eumque renovare hujus viciſſitudinis memoriam putant. Illud pariter impeditum eſt, utrum Clodovaeus, qui Grimoaldum cum filio evertit, in regno ſucceſſerit, an filium ibi regem conſtituerit; quod faciam, ut intelligatur, eorumque teſtimonio, quorum apud me auctoritas valet, comprobetur. Etenim conſtat, & confirmare in expedito eſt, Clodovaeum II. mulctato Grimoaldo, extruſoque hujus filio Childeberto, Auſtraſiam ſtirpi ſuae repetitam, non reddidiſſe patrueli, quippe non reverſo, nec revocato unquam aut reſtituto, ſed retinuiſſe, quoad vixerit, regendamque ſuſcepiſſe, non, ut plerique exiſtimant, Childerico filio tradidiſſe. Poſt Clodovaeum, utriusque Franciae, Auſtraſicae & Neuſtricae regem, qui anno DC LV. mortem oppetiit,

Clotharius filiorum natu maximus, ejusque nominis III. praeter occidentalem Franciam, junctamque ei Burgundiam, solus aliquandiu tenuit Austrasiam, quae deinde ejus assensu, et matris, quae tutelam gessit, approbatione, delata est ad Childericum minorem fratrem, qui utriusque voluntate & iudicio, primum in partem regendae Austrasiae ascitus est, tum Clothario sine liberis mortuo, in universa Francia successit, nec vero diu solus regnavit, vitamque & regnum, perfidia & scelere conjuratorum, non relicto herede, amisit. *Expedienda hic sunt, quae difficultatem habent, aut præ se ferunt. Sigebertus Gemblacensis, auctor est, Childericum, vivo & volente Clodovaeo patre, constitutum esse Austrasiæ regem, in vita S. Theodardi (mendose apud Trithemium* Theobardi) *quod repetitur in Chron. ad an. 658. Cui assentiuntur non pauci, nec spernendi scriptores, quibus addo Joannem Tilium in commentar. rer. Gallicar. & prae omnibus nostra memoria nominandum Hadr. Valesium, lib XXI. rerum Francicarum. Apud me in hac inprimis re causaque valet auctoritas scriptoris antiqui, & illorum temporum, quibus haec gesta sunt, aequalis, qui in libro, quem de vita S. Bathildis composuit, ab excessu Clodovaei haec accidisse tradit, quem* Surius *edidit, Duchesnius excerpsit.* Is aperte scribit, *Clotharium, exempto rebus humanis patre*, suscepisse ilico Francorum regimen; *Francorum, inquit, non solum Neustricorum, sed*

etiam

etiam Austrasiorum. Horum deinceps sigillatim meminit, qvi annitente Bathilde, & suffragantibus regni primoribus, ex aliqvot annorum intervallo fratri ipsius Childerico *obvenerunt, ab eoqve tempore hic regendi consors factus, & regis Austrasiae titulo appellatus, extincto autem Clothario, rex universae Franciae, constitutus est, etiam Burgundiae, quae regnante primae stirpis Francorum progenie, sigillatim Clotharii III. aetate, Franciae Neustricae innexa est, ut confirmat Anonymus scriptor vitae S. Bathildis, quam per rerum temporumque imperitiam cum Bildechilde recentiores plerique confundunt. Veteres tamen auctores Franci interdum haec nomina permiscent, non tam suo, quam librariorum vitio, quod ex vita S. VVandregesili cap. 14. & 21. constat. Illud etiam auctoritate confirmandum est, quod scripsi, Dagobertum,* Sigeberti F. *non rediisse in Austrasiam, nec recuperasse regnum. Quo argumento dicitur ejus* exilium irrevocabile, *ab* Anonymo *vitae S. Boniti scriptore. Veruntamen non dubito, qvin mortui cadaver relatum sit in Franciam; facit enim pro me scriptor antiqvus, & expresse commemorat, in basilica Rotomagensi conditum fuisse* Dagobertum, *cap. 32. in vita Eligii. Erat enim illa in urbe praesul, & gnarus rerum urbis, cujus sacra moderatus est, inprimisqve ejus basilicae, in qva summa dignitate fungebatur. Non ergo, neqve vivus, neqve mortuus, Austrasiae redditus, sed in Neustriam relatus,*

latus. & Rotomagi ſepultus eſt, in primario D. Petri templo, qvod in magna celebritate eſt, cum ob alia funera illuſtria, tum ob antiqvitatem & Gothicam ſtructuram.

XVII. Childericus II. anno regni Auſtraſiani qvartodecimo, Neuſtraſiani qvarto ineunte, cum venationi operam daret, miſere periit, quem in utroque regno A. C. DCLXXIII. ſecutus eſt frater natu minimus Theodericus, hujus nominis III. qui antea regnum Neuſtriae affectaverat, ad ejusque cauſam Ebroinus ſe adjunxerat, ſed a Proceribus Franciae deſertus Rex & deſtitutus, atque in ſacri ordinis ſodalitatem adſcriptus eſt, ut praecluſo ad ſucceſſionem aditu, omnes curas ad pietatis ſtudium conferret. Atverſa aliqvanto poſt fortuna, & reſtitutus in libertatem Theodericus, non modo recepit Neuſtriam, ſed omnem Franciam, quam antea ne ſperaverat quidem, cum ditione ſua conjunxit. Nemo enim poſt Childerici, & uxoris ejus gravidae caedem, e ſtirpe regia reſtabat, qvi regeret Francos; qvanquam regendi prudentia Childerico defuit, & majorum virtus in eo ac ſucceſſoribus defecit, ut moribus atqve inſtitutis diſſimilimi, nihil praeter originem & nomen retinerent. Iſta autem regni converſio maximam Franciae perniciem attulit, & praefectorum libidini interdum reges ipſos expoſuit, rerumque ſummam tandem ad alios traduxit, quanquam id ſerius, & ſeqventi aevo accidit, cum nullo morbos

morbos ſanante remedio uterentur. Non enim id de omnibus Merovingis pronunciandum eſt, quod aliqui faciunt, nullo diſcrimine regum rerumq; intervalla ſeparantes, etiam veteres plerique, & Carolingorum aequales, rumore potius, quam monumentorum fide. Niſi illud ignaviae affine dici oportet, quod immatura, aut brevis regum aetas, velut crebrioris interregni cauſa, incrementis regni obfuiſſe videatur. Illud certo conſtat, Clodovaeum III. Theodorici III. filium, & in regno ſucceſſorem, firma pace, nec diviſo Franciae patrimonio, regnaſſe, & praefecti auctoritate, qua Pipinus Anſegiſi F. fungebatur, adiutum fuiſſe & admonitum, ut ad praecidendam diſſidiis materiam, utrique Franciae ſolus praeeſſet. Quo tempore praefectorum dignitas potentia atque opibus valuit, novoq; nec uſitato hactenus, titulo aucta & inſignita, altiusque evecta eſt, adeo ut praefecturae munus, quod Pipinus geſſit, per omnem Franciam pateret. Cauſa honoris atque inſtrumentum erat victoria, quam ad Textricium retulit, caeſoque Berthario, aemulum oppreſſit, principisque nomen & titulum conſecutus eſt, quod tradunt ſcriptores antiqui, odio & ſtudio vacui, ac ideo non ſuſpecti. *Ipſe confirmat auctor vitae Ansberti, Rotomagi antiſtitis, quem ſibi repugnantem, & regnandi rationibus contraria ſuadentem, in exilium egit; is vero auctor eum Principis nomine appellavit, utique non alium intelligens, quam*

principem Francorum, in gerendis palatii regnique Franciae negotiis primarium, & a rege proximum administratorem, ut haud obscure indicavit auctor vitae S. Boniti. Consentiunt scriptores alii, & principem nominant, inter quos extat, qui composuit vitam S. Ursmari. Multi, praesertim his recentiores principem Francorum pleniore elogio vocant. Quod tamen ita capiendum est, ut, salvo regum jure, isthaec administratio intelligatur, & nihilominus Pipino Herstallio, inter ceteros & priores palatii praefectos ac proceres, qui principes quoque appellati sunt, praecipuum aliquid relinquatur. Idcirco in vita Ansberti praefectoria administratio *dicitur, quam etsi quidam nimis amplificant, & in arbitratu Pipini positam fuisse affirmant, tamen haud omittunt jus regis, neque huius consensum defuisse, principatumque sub regibus tenuisse, sine assentandi vitio consitentur. Quod aperte satis tradunt scriptor vitae Boniti, & vetus, sed ignoti nominis auctor libelli*, de majoribus domus regiae, *quem P. Pithoeus edidit, Duchesnius ex antiquissimo codice restituit ac emendavit. Alios praetereo; quanquam in publicis Franciae tabulis, Regum procerumq; palatii titulos posteritatis causa servantibus, non legisse memini, Pipinum unquam hunc talem sumsisse titulum, aut a Regibus, sub quibus utriusq; Franciae praefecturam gessit, hoc titulo fuisse cognominatum. Elogio quidem ornatur* illustris & incluti, *quo & reges usos esse,*

esse, constat, annos tamen praefecturae non retulisse in commentarios publicos, nec more regum, pro quibus administrabat, dinumerasse, palam est, nec probatione mea eget. Erant vero alii tituli, regnantibus proprii, quibus a conditione praefectorum distinguebantur.

XIIX. Clodovaeus III. exiguo tempore, & obscuro nomine regnavit, quem prolis expertem secutus est frater Childebertus .III. rebus gestis clarior, neque animi vitio, nec breviori aetate impediebatur. Nam haud idem utriusque spatium fuit; duobus enim annis Clodovaeus, decem septem Childebertus regnum tenuit, & Pipini Herstallii ductu Alemannos, qui Suevi nominantur, oppugnavit. Horum dux Vilarius, velut suis deinde legibus victurus, regnoque Austrasiae se & gentem subtracturus, venienti processit obviam, collatisque signis, cum eo conflixit, victusque reparavit vires, regresso postea in Franciam Pipino, quam Rex morbo implicitus obiit, sub cujus extremum vitae regnique tempus, bello contra Svevos, eorumque ducem gesto praefuit Valericus. *Alemannos dixi, non ut Francos Moeno finitimos, Alsatiosq; comprehendam, qui omnes qvidem uno Austrasiae regno, sed non uno* ducatu *continebantur. Vicini erant, sed suis discreti finibus, nec belli societate coniuncti, cum Alemanni, id est, Svevi proprie dicti, Francorum armis peterentur, Al-*

ſatii autem & Franci ad Moenum porrecti qvieſcerent, ac in fide perſeverarent. Qvod ſcriptores annalium conſentientes tradunt ad A. DCCIX. DCCX. & DCCXI. Sed qua fortuna ſecunda, an adverſa Franci pugnarint, non commemorant, qvod Nazarianos, Tilianos, Petavianos, inſpicienti conſtabit, qvanqvam & inter eos alii aliis parcius hoc attingunt. Solus auctor annalium Metenſium copioſior eſt, nec infeſtatos tantum & ſuperatos, ſed etiam triumphatos a Pipino Svevos (multi Svaves, aliqvi Svabos vocitant) magna ſcribendi fiducia prodit, ſed unde acceperit, incertum eſt, & nemini hactenus exploratum.

XIX. Haec auſpicio Childeberti III. geſta ſunt, quem eodem, quo obiit, anno inſecutus eſt Dagobertus filius, huius nominis III. qui praeter alia, quae domi ab eo perfecta ſunt, multa in pios coetus beneficia contulit, nec belli Svevici curam cogitationemque abjecit. Nam Vilarius armis ſubigendus reſtabat, adverſus quem comparavit exercitum, haud peiori, quam pater, fortuna, nec diſpari eventu, vaſtato quippe hoſtis agro, Svevorumqve populo in ditionem *Franco-Auſtraſicam* redacto. Annales Francorum ex pervetuſtis Al. Petavii, Tiliique codicibus deprompti, expeditionem contra Svevos ſuſceptam confirmant; annales vero Metenſes plus aliquid ſignificant, ducemque expeditionis definiunt, atque amplius proſperum belli exitum tradunt,

ut

ut facile intelligi poſſit, Sveviam late vaſtatam, Francorumque orientalium regno conjunctam, usque ad Lanfridi, Svevorum ducis, tempora quieviſſe. Ad A. DCCXII. Quibus rebus Danubii aditus patuit, apertique ulterioris Germaniae fines, attulerunt novum vicinis periculum, & Boioaros, ut communem poſtea ſubirent fortunam, admonuerunt, eoſque integros hactenus & intactos, nudarunt quaſi & objecerunt Francis ex propinquo invadendos. Verum aliquot poſt annis, Pipino ſeniore jam mortuo, Franci Neuſtrii Auſtraſiique aemulatione commiſſi, vires ipſi ſuas confecerunt, quoad Carolus, Pipini ex Alpaide filius, e cuſtodia, qua eum detinebat privigna Plectrudis, dilapſus, Neuſtrios in ordinem redegit, repreſſo, qui obſiſtebat, Ragenfredo. Sub hoc tempus deceſſit Dagobertus, rebus nondum in Francia compoſitis, relictoque in his turbis filio Theoderico, cui adhuc impuberi, A. DCCXV. regnum, a Francis praereptum, atque ad agnatum ejus Danielem, quem ab ordine ſacro arceſſebant proceres, eſt delatum. Hic, regno Francorum ſuſcepto, appellatus eſt Chilpericus, idem Chilperici II. filius, qui in ſerie regum huius nominis tertius numeratur. Ab initio ſtatim Carolo, res in Auſtraſia novanti reſtitit, oppreſſurus etiam, ſi conatui par uſus armorum fuiſſet, & aetati maturæ, quae in Theoderico deſiderata eſt, fortuna reſpondiſſet. Sed

rex aliquot praeliis victus, imprimisque clade Svessionensi fractus, vix colligere vires potuit, parumq; abfuit, quin, deleto exercitu, simul periret Ragenfredus. Ad clades autem, quas accepit Chilpericus, accessit ista calamitas, quod, annitente Carolo, Clotharius IV. contra eum electus est, qui Theoderico III. prognatus, nulla re memorabili gesta, obiit, cum ab eo tempore, quo Carolus illum minuendae invidiae causa extulit, annus, & septem fere menses effluxissent. Nec vero Chilpericus III. in Frisiis, quorum rex tunc Radbodus aetate affecta erat, neque in Saxonibus Visurgi finitimis, quos praeveniebat Carolus, praesidium, quo res lapsas restitueret, invenit. Eudo quoque Dux Aquitaniae, sic attritus erat proxima clade ac debilitatus, ut unus ipse labentem Chilperici potentiam sustinere non posset. Cum in hoc discrimine rex esset, perturbatus, & quomodo hosti resisteret, incertus, in Aquitaniam se contulit, quem Eudo, regia fere potestate Dux, retinere non ausus, data ante & accepta fide, cum donis dimisit ad Carolum, a quo bene acceptus, atque in regnum restitutus, non multo post vivere desiit, ineunte sexto regni anno. *Anonymus, & aequalis horum temporum scriptor, qui Gesta Regum Francorum composuit, cap. LIII. Huius enim magna auctoritas est, & merito aliis praefertur. Proximus ab eo est conditor Chronici, iussu Childebrandi*

XXII

Comitis scripti, quod Fredegarii appendicem constituit, cap. CVII. Post utrumque annales, quos monachus, cuius non extat nomen, in fano S. Arnulphi apud Metenses exaravit, addictior tamen Carolingis. Neustria tunc Regem fere precarium habuit Chilpericum, Aquitania ab ea tantum non seiuncta, cuius Dux regia propemodum potestate utebatur. Austrasia Regum Neustrasiorum leges mandataque spernebat, praefecti non Regum arbitrio, sed suo procerumque suae gentis suffragio, quae fieri vellent, instituebant, ac disponebant, regiones insuper Austrasiae regno coniunctae sensim deficiebant, aut labantes ad defectionem spectabant, finitimæ bellum movebant, Austrasiosque lacessebant, Saxones enim Cattuarios invadebant, Frisii haud quietiores erant, vicinosque vexabant, tum Svevi insurgebant, & omnia armis tumultibusque miscebantur.

XX. Levatus post solicitudine Carolus, Theodericum IV. Dagoberti III. filium, ab aditu & usu reipublicae submotum, & sacrae sodalitati, quae Calae erat in vetere agri Parisiensis fano, traditum & mancipatum, volentibus Francis, eductum inde ac regno impositum, consilio & auctoritate sua iuvit, cujus alioquin rationes, seu pace, seu bello quid gerendum esset, post tot tamque insignes partas victorias plurimum valebant. Utri autem Franci, Neustrii, an Austrii regem hunc constituerint, dubitari potest, & quaeri, cum prisci annalium scriptores,

non

non diſtingvant hic Francos & definiant, generatim eos nominaſſe contenti. Alteri eorum afflicti, & fortuna miſeri, alteri potentia aucti, iamque ad ſocietatem priſtinam & concordiam revocati, haud videntur potuiſſe negligi; quanquam Neuſtrii victi antea potius, quam domiti, ad ſalutem dignitatemqne ſuam excitati, regem hunc, ſed haudquaquam ſoli, deſignarunt, non repugnante Carolo, qui ſatis habuit, dignitatem a Rege proximam, in qua regiam quoque poteſtatem exercuit, obtinuiſſe. Fragmentum Erchanberti in hanc ſententiam exponi debet, in cuius extremo legitur, *Francos in regem ſibi ſtatuiſſe Theodericum filium Dagoberti iunioris.* Francorum nomine intelligi Neuſtrios, in quorum ditione erat Calenſe fanum, ex quo ad capeſſendum utriusque Franciae regnum accitus Theodericus eſt, non abnuo temere, neque inficiari audeo, dummodo non plane nulla Auſtraſiorum ratio habeatur, quorum nomine adfuit, operamque contulit Carolus, quippe non paſſurus, ut tam indigne ſecum agerent Neuſtrii, praeſertim in communi conſociatoque regno, in quo ſopitis tandem turbis, omnes unum atque idem ſentire oporteret. Haud aliter iudicavit Marianus Fuldae monachus, & ſcripſit, *Francos cum* Carolo, *filium Dagoberti iunioris regem ſuper ſe ſtatuiſſe, an. 720. Exinde liqvet, falli Godefr. Henſchenium, qvi ſecus exiſtimat, & prorſus negat,*

Theo-

Theodericum IV. qvem mendose II. nominant, Dagoberti III. fuisse filium, vel solius Erchanbertini fragmenti auctoritate convincendus. Idem enim est ibi Dagobertus iunior, qui alias Dagobertus III. & Dagoberti magni atnepos celebratur. Theodericus vulgo dicitur Cala, *a loco religionibus consecrato, in qvo, regnante Chilperico III. altus educatusqve est; rectius tamen, si hoc prioris vitae genus respiciendum est, Calensis vocatur, qvando constat, eos, a qvibus Cala scribitur, errore, qvem mendosa lectio peperit, fuisse deceptos. Nam in antiqvis Francorum monumentis, & speciatim in Gestis Regum Francorum cap LIII. fin. nomen hoc,* Cala, *est auferendi casu positum, qvod in Erchanberti fragmento integre & emendate scriptum cernitur, idque haud difficulter colligi potest ex vocabulo adjecto, qvippe qvod ad locum refertur, non ad regem,* Cala *(id est, in Cala)* monasterio enutritum, *prout verba antiqvi & anonymi scriptoris etiamnum leguntur. Extremo nota numeri mutanda, & cum Theoderico IV. (non II.) componenda est, qvod series & succesʃio regum Francorum eius nominis apprime confirmat, & Catalogos vulgarium scriptorum, Riccioli, (cuius Chronologia sibi non constat, & erroribus inquinata est) Berthaultii, & aliorum refellit.*

XXI. Duo potissimum bella in Austrasia auspicio suo gessit, Svevicum & Frisicum; alterum, victo Landfrido, Svevorum duce, alterum, ducto

in Frisiam occidentalem exercitu, imperio ductuq; Caroli confecit. Non quidem propter ignaviam, aut infirmitatem animi, sed quia per aetatem manu consilioque alieno indigebat, nec poterat defugere auctoritatem praefecti, suis jam subnixi viribus, & ultra magistratus dignitatem evecti, cui si negasset quicquam, aut imprudenter repugnasset, potentia ad perfidiam abuti potuisset: regnum certe barbaris, qui capta Hispania, Franciam invaserant, non restitisset diu, iugumque subiisset. Theodericus septimo decimo regni anno mortuus est, superstite filio Childerico III. vita & moribus dissimili, in quo tandem antiqua & ampla Merovingorum familia A. DCC LII. regnum Franciae virtute partum, & servatum, amisit, totaque A. DCC. LIV. defecit, & nullos adeo posteros reliquit. *Legendi hic annales sunt, in qvibus viget memoria rerum his temporibus gestarum, sigillatim Nazariani, Petaviani, Tiliani, Loeseliani, Fuldenses, qvi & Pithoeani, qvod primus omnium P. Pithoeus emisit, dicuntur, Metenses, Gesta regum Francorum cum appendice, Chronica Sandionysianum, Fontanellense, & fragmenta varia, qvae supersunt, a Duchesnio collecta, qvorum alia ex aliis illustranda, supplenda, & interdum corrigenda, praesertim in nominibus & notis numerorum. Illud demum ex dictis liqvet, Boioariam, Sveviam, Alsatiam, Franciam, recentiori vocabulo Franconi-*

am,

XXIV

am, Thuringiam, Hesſiam, Friſiam Citeriorem, partes fuiſſe Auſtraſiae, aliqvas autem nutaſſe, & rebus novis ſtuduiſſe, ſed ad obſeqvium rediiſſe, Saxoniam, neqve omnem tamen, adhuc fuiſſe vectigalem, Pipinum deniqve Herſtallium ſedem regni Auſtraſici ex urbe Metenſi Coloniam Ubiorum tranſtuliſſe, ibiqve domicilium principatus Franciae Orientalis conſtituiße, & opes theſaurosq; ſuos, qvos vindicavit Carolus filius, *eo in loco tanqvam in principalis patrimonii aerario, comparatis potentiae ſubſidiis, ad uſum defenſionemqve publicam repoſuiſſe, at in parte dignitatis metropolitanae Moguntiam, recuperato per Bonifacium poſtliminio iure, ſub ultimo huius ſtirpis rege, Coloniae praelatam, omnium in utraqve Germania, prima & ſecunda, cis-et transrhenana ſacerdotiorum infulis Epiſcop. praeditorum caput evaſiſſe.*

CAP. II.

DE AUSTRASIA, EIUSQUE STATU ET MUTATIONE SUB CAROLOVINGIS.

I.

NUnc, & deinceps, quae ad ſummam rerum Auſtraſicarum pertinent, ex antiquis & idoneis rerum auctoribus exponere inſtitui, ut appareat, quando & quomodo Auſtraſia in Germanorum ditionem redacta fuerit, ſtatumque ſuperiorem & no-

men, novo & inſigni viciſſitudinis exemplo, iterum mutavit. Sub primis Carolovingorum regibus, Pipino, Carolo M. & Ludovico pio, pars fuit magni Francorum imperii per Germaniam Galliamque, id eſt, ſervato ſequiorum temporum ſcribendi more, per utramque Franciam, & coniunctas utrique regiones conſtituti, ſic tamen, ut neutra Francia eſſet pars alterius, & utraque nihilominus amplo Carolovingici nominis regno contineretur.

II. Illud vero primus in familia ſua diviſit Carolus M. factoque teſtamento, tres filios heredes inſtituit, & ſuam cuique partem cis & ultra Alpes aſſignavit, Ludovico Aquitaniam, additis finitimis tractibus provinciiſque aliis; Pipino Langobardiam, excluſo Romanorum Imperio, quod extra regni Francici patrimonium erat: Carolo, reliquam Franciam & Burgundiam, atque inſigniores Auſtraſiae regiones, exceptis tamen & detractis aliquot partibus, Ludovico & Pipino attributis. Quae *Caroli M. partitio in annum DCCC VI. incidit, atque a proceribus Franciae confirmata, poſtea vero, qvam duo eius filii, Pipinus & Carolus mortui ſunt, ſublata, primumqve a Petro Pithoeo eruta ex tenebris atqve edita, nec Baronio ignorata, & in annales relata, tum a Ducheſnio, Goldaſto, & Cointio repetita eſt, cuius meminerunt Adelmus, & Egoliſmenſis monachi, annales item Fuldenſes, Metenſes, Tiliani, & omni exce-*

ptione

ptione maiores Bertiniani, qvorum auctoritate veritatem huius monumenti confirmamus. Non multis post annis, in conventu Aqvisgrani habito, Carolus M. superstitem unicum filium Ludovicum, antea tertiae regni partis heredem, in universo Franciae utriusqve regno successorem constituit, & simul Imperatorem Romanorum declaravit, regnum Langobardiae, qvod in patrimonio habuit, Bernardo nepoti reliqvit. Confectae succesfionis rationes sunt, assentientibus Francis, A. DCCCXIII. ut graves idoneiqve testes sunt luculenti scriptores annalium Fuldensium, Metensium, Loiselianorum, qvi in hoc anno desinunt, Bertinianorum, cum qvibus jungatur haud minoris autoritatis Chronicon Moissiacense, & Theganus, qvi ab anno hoc, qvo novissima partitio facta est, operis, qvod de Ludovici pii gestis extat, initium duxit. His autem temporibus Francia non modo trans Rhenum, Visurgim & Albim, sed etiam trans Ligerim patuit, & longius etiam trans Pyrenaeos & Alpes prolata, ista Saracenis, haec Langobardis erepta, patrimonium Franciae potius, qvam titulum auxit, excepto duntaxat augusti Romanorum Imperatoris titulo, qvem Franci ex illa stirpe imperantes, omnibus titulis merito praetulerunt, in eoqve praecipuum dignitatis suae splendorem, & singularem eminentiam ultro agnoverunt, eaqve de causa Imperatores augusti huius familiae, ipsum qvoqve Franciae titulum de industria

omiſerunt, qvo alioqvin regna de integro acqviſita, ſi Langobardicum aliqvando excipias, complecti voluerunt, qvin & in uno atqve altero capite diviſionis regni, coniunctionisqve provinciarum a Merovingorum inſtitutis interdum receſſerunt.

III. Magis pernicioſa fuit, ſi reputo exitum, diviſioſio Ludovici pii, qui cum patre imprudentior, tum eius exemplum ſecutus, infelicior extitit, propterea quod Caroli M. errorem fortuna correxit, extinctis Carolo iuniore & Pipino filiis, quos regina Hildegardis ei peperit, & Pipino altero, eoque ſeniore, quem ex Himiltrude ſuſcepit, in ſodalitatem ſacram tradito, ut turbare deſineret, vitamque a negotiis vacuam finiret. Sed aliter evenit, cum Ludovicus, Caroli Aug. filius, regnum divideret inter tres filios, ex priori coniuge Irmengarde natos, Lotharium, Pipinum & Ludovicum: quoniam primus Augusti nominis, Imperiique Romanorum particeps factus, alter Aquitaniae, tertius Baioariae rex conſtitutus, & creatus eſt in ſolenni Francorum conventu, quem eius rei cauſa anno DCCC XVII. indixit. Tantum vero abeſt, ut haec integri Franciae regni partitio fuerit, ut quoque iam conſtet, eam partientis Ludovici Auguſti fuiſſe voluntatem, ut Aquitania tantummodo, & Boioaria, in partitionem illam, procerum aſſenſu confirmatam, deducerentur. Reliquae enim cis & trans Rhenum ſitae regiones partitione illa comprehenſae non ſunt, & ideo exce-

XXVI

exceptae, atque auctori partitionis reservatae. Tanto minus in partitione includitur augusta dignitas, quae titulo Imperatoris Romanorum soli Lothario attributa est, neque eo secius regnum Italiae ad Bernardum, Pipini R. Italiae filium, seorsim a ceteris regnis pervenit. *Chronicon Moissiacense, & annales Bertiniani ad h. A. Qvo pacto Lotharius desiit esse Rex Boioariorum, qvum pater, mutato consilio, regis Boioariae titulum ei demeret, & inita majoris aetatis ratione, Ro. Imperatorem renunciaret. Qvae dignitas semper individua, & uni duntaxat filio assignata est, ad qvam postero anno* DCCC XIIX. *qvo Bernardus Italiae rex in crimine turbati imperii deprehensus, & regni dignitate mulctatus est, ipsum illud Italiae Langobardicae regnum* A. DCCCXX. *accessit. Regino d. A. Posterior enim fuit divisio, qua Ludovicus natu minor rex Bojoariae creatus est; cuius in priori, qvae anno* DCCCXIV. *contigit, neqve mentio facta, neqve ob aetatem puerilem ratio habita fuit.*

IV. Valuit autem recentior illa in Comitiis Aqvisgranensibus facta partitio, neque a Ludovico Aug. rescissa est, quando, Irmengarde mortua, Iuditham duxit, ex eaque suscepit Carolum, filium natu minimum, quem anno DCCC XXIX. regem Alemanniae, addita ad regnum eius Rhaetia, Burgundiaeque parte, in conventu apud Vangiones habito, constituit ac renunciavit. Testis praesto est illorum

tem-

temporum probus atque integer *Theganus c. XXXIII. de gestis Ludovici Imp.* Nihil ademit aut detraxit filiis ex Irmengarde natis, sed sua cuique regna superiori divisione, cum Aquisgrani esset, attributa & confirmata, in pristino statu reliquit: Lothario augusta dignitas cum regno Italiae, Pipino Aquitania, Ludovico minori Boioaria, eo quo assignata erat iure, nulla ademta parte, & adeo prorsus integra remansit. Postea plures divisionum formulae confectae sunt, in quibus, pro conditione rerum & temporum, mutavit quaedam augustus pater; nihil tamen detraxit Lothario, etiam turbanti, & seditionis reo: quamvis tunc nomen titulumque eius, ut alias solebat, in tabulis publicis omitteret, haud dubie ob manifestum perfidiae crimen. Nam consociata quidem erat cum Lothario augusta dignitas, sed ea lege, ut nihil delibaret de auctoritate patris, qui, vivente Carolo augusto, nihilo majorem habuit potestatem, quam pater imperans voluit, aut concessit. Haud secus reliqui filii, quos diviso Franciae patrimonio, Ludovicus Aug. constituit reges, Imperatori tenebantur, adeo ut integrum fuerit, mulctare perduelles, & iure quaesito privare, nisi facilitas ipsi nimia obfuisset. Sed leniori remedio usus est Imperator, & filios officii sui oblitos, admonuit subinde & correxit, nec tamen iure puniendi usus est, neque imperio, nec regnis, quorum patris beneficio consortes erant,

mul-

mulctavit. *Qvo nomine ſcriptores qvidam aeqvales odium produnt, & in Ludovicum auguſtum iniqvi ſunt, inprimis Agobardus, & Anonymus, qvorum alter apologiam, alter vitam VValae Abbatis compoſuit, qvi Lotharii partibus ſummopere ſtuduerunt, editis pro eius cauſa ſcriptis, multa acerbitate refertis. A qvibus ſeparandi ſunt, qvi non malevoli, ſed in tradendis Lotharii rebus minus cauti, titulo Imperii Ro. omnia cis Alpes Francorum regna Lothario obveniſſe affirmant, qvod vel Nithardi cauſa praeterire non poſſum.*

V. Primus inter filios bellum civile concitavit Pipinus, inſtigantibus Francorum proceribus, qui multorum regni malorum cauſam in Iuditham, Ludovici aug. uxorem, conferebant. Pipino ſtatim ſe coniunxit Lotharius, imperandi cupidus, & Iudithae, cui Auguſtus indulgebat, infenſus, commotisque procerum animis, in occaſionem intentus, & amplioris potentiae appetens, quam nova diviſione, qua Carolo Iudithae F. regnum obtigit, imminutam eſſe, graviter ferebat. Igitur regni poſſeſſione patrem privare ſtatuit, ſed repugnante Ludovico iuniori, & reconciliato Pipino, deterritus eſt Lotharius, fratribusque novo patris beneficio invitatis, & acceſſione locupletatis, acquievit. Hinc Lotharius res ſuas Italiae finibus circumſcriptas, habere iuſſus, atque in Italiam, ubi patrimonium eius

constitutum erat, dimissus, & rursum mansuetudine ptris devinctus, rationi & legibus ad breve tempus paruit; Pipinus autem & Ludovicus consiliis a fratre disiuncti, patrique continuata seditione molesti, cum nova Imperatoris auctoritate partitio fieret, suapte culpa rei augendae occasionem amiserunt. Pater enim scelere filiorum offensus, nullam eorum in divisione illa rationem habuit, & Lothario Caroloque tranquillitatis causa impense favit. Quamvis mutato postea rerum consiliorumque statu, nihil ea ex divisione redundarit ad Lotharium, cum denuo obsequii in patrem oblitus, inquinaret dignitatem, fidemque violaret. Idcirco in plerisque partitionum formulis, quae auspicio Ludovici aug. confectae sunt, ne Lotharii quidem nomen, nedum ei tributum ius reperiamus. Nec vero ipse Lotharius, patre ex imperii possessione dimoto, reconciliatisque sibi fratribus, aliter constituit, neque a priori divisione, quae Aquisgrani perfecta est, recessit, sed tripartitam repetiit, atque hoc non fallente argumento, alteram & quadripartitam, tribus abhinc annis Vormatiae a patre factam, quantum in ipso, & fratribus erat, obligato etiam iurisiurandi religione populo, abrogavit. Quod vetus ac fide dignus scriptor, quo auctore standum est, verbis minus elegantibus, sed aperte significantibus illa ipsa aetate, qua haec gesta sunt, indicavit. *Post*

haec

haec (quae cum Ludovico Imp. acta sunt) *populo* (Francorum) *iuramentis obstricto* (firmatum iureiurando obsequium testato) *imperium* (laxe dictum) *inter fratres* (Pipinum & Ludovicum germanos) *terna sectione partitur* (tripartito dividit) Lotharius scilicet, qui hic designatur. *In vita Ludovici Pii, cuius auctor ob cœli siderumqve motus peritiam Astronomus nominatur. Qvae conversio, ut ab eo traditur, conjuncta est cum anno DCCC XXXIII. qvo Lotharius, excluso, qvem in custodia retinebat, Carolo, & qvarta portione privato, patris acta rescindebat, nec plura, qvam duo cis Alpes regna constituebat, aut potius, ut antehac constituta erant, relinquebat; tertium vero trans Alpes & Apenninum uno nomine, diverso licet iure, complexus, Augusti Ro. Imperii (proprie & eminenter dicti) titulo, & dignitatis praerogativa, sine ulla tamen in fratres reges potestate, retinebat. Lotharius eqvidem maioris potentiae accessiones, si daret se occasio, qvaerebat, & potiundae Francorum Monarchiae consilium occulte inibat, sed qvin proderet, fratrum metus prohibebat,*

VI. Non diuturna fuit haec Imperatoris calamitas, cum Pipinum & Ludovicum facti pœniteret, seu quod Lothario, ad maiorem potentiam nitenti diffiderent, seu quod sensu pietatis patrem denuo iusta veneratione prosequerentur. Igitur missis ad Lotharium nunciis, patrem liberari postulant,

& restitui in pristinam dignitatem. Haud difficilem se praebuit Lotharius, neqve irritare duos, nec resistere coniunctis ausus, Ludovicum aug. non vetuit libertate uti, & ipse mox fugere coactus est, patre in fano S. Dionysii relicto, qui haud multo post, volentibus & cohortantibus amicis, Imperii insulas recepit. Quibus molestiis atq; difficultatibus ex animi sententia superatis, animum ad curam reipublicae convertit, & in seqventi anno DCCCXXXV. conventu Theodonis villae acto, regnum Franciae inter tres filios, Pipinum, Ludovicum & Carolum, divisit, omisso Lothario, nec divisionis negotio, ut colligere est, repugnante, quippe qui, patre ad privatam fortunam redacto, & imperatoria regiaque dignitate per iniuriam mulctato, dividens, ipse sibi hanc legem volens prudensque dixit, augusti nominis dignitate, regnoq; transalpino, quod extra Franciam erat, contentus. *Nova divisionis formula in congressu conventuque Theodonis villano, confecta promulgataqve est ab Ludovico aug. in pristinum locum restituto, & denuo in possessione Imperii confirmato, ut iam omnes intelligerent, iniuriam Imperatori esse factam, cum Antistites Franciae in Comitiis Compendii habitis eum declarassent imperio indignum, & crimina ei obiecta, in formulam redegissent, eodem anno, qvo Agobardus in Ludovicum aug. acerbe scripsit, id est, A. DCCC XXXIII. qvo haec gesta esse constat.*

Petrus

Petrus Pithoeus perduellionis carmen primus evulgavit, titulumqve fecit: Exauctoratio Ludouici Pii. *Inde repetiit doctus Pater Ignatianus, Iacobus Sirmondus Conciliorum Galliae t. II. Nec piguit purpuratum patrem Baronium referre in magnum opus Annalium ecclesiasticorum. Melchior Goldastus Constitutionibus Imperii addidit, sed titulo mutato inscripsit,* Edictum de exauctoratione Domini Ludovici pii Imperatoris. *tom. II. Constit. Nec male, & actis temporumqve rationibus convenienter. Duchesnius ampliori titulo reddidit.* Acta impiae ac nefandae exauctorationis Ludovici Pii Imp. *In editione proxima Argentoratensi, cum, praeter alios scriptores Carolingicos, Theganus ederetur, omissa est decreti perduellionis causam designantis formula, qvae Pithoei exemplo, proxime a Thegano, haud inutiliter edi potuisset. Verum satis de conventu Compendiensi dictum est: nunc qvid Theodonis villae actum fuerit, cognosci oportet. Eo in loco fuit palatium, ubi Comitia regni habita, & tria cisalpini patrimonii Francici regna, in suos qvaeqve fines descripta, a patre distributa, ac tribus filiis assignata sunt: regnum Aqvitaniae Pipino obtigit, Boioariae ad Ludovicum pervenit, Alemanniae deniqve ad Carolum auspicio dividentis Augusti est delatum. Digna observatu est haec divisio, cum qvia perspicua est in designatione regionum & finium, tum qvia integra extat, a Goldasto autem, qvod fieri non debuit, praetermissa, cum*

 tamen

tamen neqve imperfecta sit, neqve in falsi suspicionem veniat, & se ipsa satis usu illius aevi, & dictionis forma, rerumque momentis *tueatur. Omnino autem insigniores Austrasiae partes in ea expressae, & Ludovico attributae, atqve adeo cum regno Boioariae tunc coniunctae sunt* Toringia (*Thuringia*) *a Moeno qvondam ad Ocram usque porrecta:* Ribuaria (*Ripuaria rectius, sive Riparia*) *a Rheno ad Ruram Mosamque pertinens:* Atoaria (*Hathuaria, sive Cattuaria*) *pars Orientalis Franciae, Saxonibus Visurgi finitimis proxima;* Saxonia, *cis ac trans Visurgim sita, & cum utraqve simul transalbina sive Holsatia;* Frisia, *citerior & ulterior:* Ardenna, *quae Romanis scriptoribus Arduenna*, saltus ille *magnus, Mosellanos inter Condrusiosq; patens:* Asbania, *qvae alias Hasbania, inter Brabantiam & Arduennae saltum:* Bragmentum, *haud dubie est Bracbantum, qvod & Brachbantum, recentiori vocabulo Brabantia appellatur:* Franderes, *ubi hodie Flandriae Comitatus:* Menpiscon, *pagus Mempiscus, sive Menapiorum regio cis Mosam:* Medenenti, *seu Medenentense territorium, id est, tractus Melanthisius, Flandriae adiacens:* Amau, *hoc est, Hainau, Latino Hainoum, sive Hannoniae Comitatus:* Austerban, *qvod exponi debet Austerbantium, sive Austrebantium, inter Hannoniam & Artesiam:* Aderten, *Atrebatensis Comitatus, qvi hodie Artesia nominatur:* Tervunensis, *tractus Tervannen-*

XXX

sis in Morinis: Bolens, *perinde ac si legi debeat,* Bolensis, *pro qvo scriptum est Boloniensis, sive Bononiensis, ducto nomine a Bononia Morinorum, quae & Gallica dicitur a seqvioribus; ab antiqvis Gesoriacum appellatur.* Qventovico, *in casu nominandi Qventovicus, ubi portus fuit quondam ad Qventam fl. qvem alii vocant Quantiam, unde sinus Quantianus nominatur. Nec multum ab eo distant Stapulae, in tractu Gessoriacensi sitae.* Camalecensis, *ex emendata scribendi ratione Cameracensis, ager in Gallia Belgica haud ignotus.* Virdomadensis *quo indicatur pagus Veromanduensis, sive, ut hic scriptus videtur, Virdomadensis, cuius caput hodie est Noviomagus Veromanduorum, vulgo Noviomum, postqvam ab Hunnis excisa est Augusta Veromanduorum. Diversus autem est pagus* Virodunensis, *in qvo est fanum S. Michaelis, cuius origo Pipini &* Caroli *M. temporibus congruit, & insigni intervallo Saxo-Billinganum, quod Luneburgi est, praecedere intelligitur, quod non animadvertit Aub. Miraeus. Ceterum tertia regni pars,* Alamannia, *Carolo attributa, aliter* Svevia *appellatur, & quidem a transrhenano Germaniae populo, antiquo & proprio Svevorum nomine praedito, qui ex* Cisbalthiana *Germania, finitimisqve locis migravit in Alamanniam, & amplum Germaniae tractum insedit, partemqve Helvetiae inter Rhenum & Ursam fluvios occupavit.* Cum Alamannia, *qvae posthac & postliminio ad Au-*

stra-

Austrasiam rediit, Burgundiam, at non integram, coniunxit, quae antehac, regnantibus Merouingis, ad Neustriam adiuncta erat, quod supra, ut recordor, admonui in loco. Adjecit insuper Provinciam, *eamque proprie dictam, & a reliqua Gallia, etiam a Burgundia diuersam, quia utramque Tabulae diuisionis aperte distinguunt, sed omnino cum eo Allobrogum tractu, qui Delphinatus nominatur, conjunctam. Hoc non difficile probatu est, & vox adjecta ostendit, qua* totam Provinciam *Carolo assignauit diuisor Augustus. Quo pacto explicandus est Chronographus Bertinianus, qui Viennam, Delphinatium urbem,* Provinciae *adscripsit, in annal. ad A.* 834. *Prouinciae adiunxit* totam Gotiam, *Galliae Narbonensis partem, & regni Francogallici finibus circumscriptam, quae includit Septimaniam & Marcam Hispanicam, & utriusque ratione dicitur* regnum Gothicum *Francorum, ut a regno Gothico Hispanorum distinguatur. Erat autem illa tempestate limes inter Galliam & Hispaniam Rubricatus. De reliquis nulla difficultas est, quippe quae eiusmodi sunt, ut facile, & sine mea interpretatione intelligantur.*

VII. Instaurata inter filios concordia, adhuc diffidebat Pipino, qui & crebrius & gravius patrem offenderat, pertinaciamque societate Lotharianae factionis testatam fecerat: neque extra suspicionem erat Ludovicus iunior, quanquam huic plus tribuisse visus est, quod haud obscure indicavit, cum regna filiorum in fines describeret, & Ludovicum Carolum-

Carolumque regno Lotharii transalpino limitum causa, nec sine civili ratione, coniungeret propius, arctiusque devinciret. Carolus, annitente inprimis matre, plurimum gratia valuit, ob eamque rem fratribus invisus, sed redintegrata Lotharii, Fr. natu maioris, amicitia confirmatus, & pluribus potentiae praesidiis ornatus est, praesertim cum pater amplissimam Belgii partem ei daret. Qvod negotium Aquisgrani anno DCCCXXXVII. confectum est, regnumque Caroli, detractis etiam ex regnis Pipini & Ludovici portionibus, denuo ac indulgenter auctum. Non refragati sunt patris voluntati Pipinus & Ludovicus, quorum ille absens, legato misso, consensum declaravit, iste praesens improbare noluit, quod, si per ipsum stetisset, in tam frequenti Ordinum conventu, aliter, ut probavit exitus, fieri maluisset. Mox admoniti antistites, proceresque ab Imperatore iussi, iureiurando astrinxerunt fidem, novoque regi paruerunt. *Annales Bertiniani* A. *DCCCXXXVII. qvorum auctoritate corrigendi sunt recentiores, qvi calculis non accurate subductis, novam hanc & luculentam Caroli accessionem reiiciunt in alium, & seqventem annum DCCCXXXVIII. Eandem tradit confirmatq; praeclarus illorum temporum scriptor Nithardus, eius auctor historiae, qvam de dissensionibus filiorum Ludovici pii conscripsit, ex qva hic aliqva ab auctore vitae Ludovici pii consulto praetermissa suppleamus. Histor. lib. I.* G VIII.

VIII. Ab eo tempore iterum commoti sunt Lotharius senior, & Ludovicus Boioariae Rex, ut qui tanta Caroli incrementa aegre ferrent, doloremque ea ex re conceptum amplius dissimulare non possent. Igitur finitis Aqvisgrani comitiis, recusarunt venire Carisiacum, ubi Ludovicus eorum pater, alium regni conventum habuit, nec modo dandi servato, novam rursus Neustriæ partem, inter Ligerim Seqvanamque fluvios ad Oceanum usque extentam, tribuit ac tradidit Carolo, tot tamque insignes provincias, superiori patris liberalitate, iam adepto. Adfuit Pipinus, & prae se tulit amorem erga Carolum, sed in animo eius exulcerato infixum erat odium, nec minor invidia excitabat cupiditatem ulciscendi. Qui postquam fato perfunctus est, resedit quidem hic impetus, sed excitis, quos avus neglexit, Pipini nepotibus, & Ludovico tam angusta sorte haudquaquam contento, minime tranquillitatis fructus regno constabat, quod Augusto pacis cupido per erat molestum. Cum enim regni commodis consulere vellet, inprimis ad amplificationem potentiae Lotharii Carolique spectabat, ut alter alteri, si opus esset, opportune subveniret, Lotharius quoque aetate & auctoritate maior, augustaeque dignitatis socius & particeps, natu minorem Carolum, quem de sacro fonte levasset, ope sua & amicitia tueretur. Idcirco, svadente Iuditha,

ditha, regnum his filiis dispertiit, Ludovico, cui Boioariam reliquit, excluso, quae nova dissidiorum materia fuit. *Portiones utrique attributas, plene, sed minus interdum emendate editas, recensuit gravis & fide dignus, sed nominis ratione ignotus, annalium Bertinianorum conditor, in anno tamen, quem DCCCXXXIX. supputat, diversus ab aliis, qui A. DCCCXXXIIX. numerant, ut designatio annorum vitae Ludovici pii in Duchesniana editione ostendit. Hunc eundem annum servant annales Metenses, sed nimio brevitatis studio non explicate satis partitionem hanc tradunt. Eadem de causa Nithardus scripsit obscurius, cui auxilium in annalibus Bertinianis unicum, & plane sufficiens quaerendum.*

IX. Ita vero Ludovicus excidit spe augendi regni, & amisit regiones Franciae Germanicae opimas & nobiles, praecipue Sveviam, & Thuringiam, titulo ducatuum insignes; Saxoniam quoque regni nomine, quod observari par est, in divisione Ludovici novissima appellatam: Comitatus item tractusque alios, opportunitate situs, & fertilitate soli praestantes. Quorum possessione cessit ad tempus, sed invitus & coactus; neque tamen iure suo cessit, neque unquam hoc animo fuit, ut eo cederet, quippe quod, patre vivo, constanter asseruit, & mortuo, armis defendit, ac eo usque persecutus est, quoad litem armatus vicit, & fratrem ambitiose repugnan-

tem, patrisque ſuperiori benevolentia ad moliendum unius in omnes fratres imperium, vana iuris ſpecie, abutentem, & adeo ſeipſum quaeſito per diviſionem patris jure, quod crimine perfidiae accidit, privantem, certe eo retinendo indignum ſuomet vitio ſe reddentem, bello defenſionis cauſa ſuſcepto (ad cujus ſocietatem frater natu minor, indignitate poſtulatorum Lotharii permotus acceſſit) ad juſtam & aequam pactionem redegit, ut Lotharius data reſtituendi fide, acquieſceret, & ſalvo Ludovici Germanici jure, & ſalvis ejus regni partibus acceſſionibusque, ſua ſibi regna haberet, & tot tantisque ſuperioribus malis, atque inteſtinis diſſidiis, velut benigni ſideris radio ac lumine finis tandem imponeretur. *Non hic repetam ex Agobardo, atqve ex vita Valae abbatis, in qvibus ſtudia partium, & coniurationis Lotharianae patrocinium manifeſte deprehendimus; qvaedam tamen in iis, qvamlibet ſpecioſa & grata in vulgus, tamen ad probandum haud idonea, & qvando ad ſtatum veteris Francorum regni accommodantur, inepta ſane & aliena. Non enim huic inſtituto convenit; qvod Lothariani ingeminabant, regna non eſſe dividenda, ut ab interitu ſerventur, cuius rei gratia teſtimonio e ſacris deprompto, ſed perperam ad hanc cauſam adhibito utebantur, eoqve Lotharii ſententiam defendebant, obliti iuris conſvetudinisqve Francorum, notae paſſim ac teſtatae, pluribusqve regum*

gum

gum dividentium exemplis comprobatae. Eodem igitur loco habendae sunt narrationes de titulo donationis & testamenti, *a Lotharianis vulgatae, & Lotharii fratribus obverti solitae, qvippe qvae Ludovici aug. actis, & divisionum tabulis directo adversantur. Sed non est, cur qvisqvam de reliqvorum fratrum iure dubitet, etiamsi ex capite prudentiae aliter facere decuisset Augustos imperantes.*

X. Multae profecto & graves causae erant, quamobrem Ludovicus conditionem suam meliorem esse cuperet, divisionemque annis DCCC XXXVII. & DCCCXXXVIII. proxime factam, iniquitatis postularet, culpam vero eius rei omnem in novercam, & pravos consultores, adversariosque suos, conferret. Indulgebat his pater, non sine offensa Francorum Orientalium, quos superiori divisione regno Ludovici coniunxerat, nunc ab eo rursus, & magna parte repugnantes disiungebat, eo praesertim in regno, in quo procerum consensus haud negligi debuit, nisi de publico omnium dissensu certo satis sufficienterque constaret. Et in promtu erat recens fratris Lotharii exemplum, qvi Ludovico patri, etiam fide iureiurando interposita, reconciliatus, novum Caroli incrementum aegerrime tulit, qvod neqve dignitatis suae, neqve ordinis nascendi ratio haberetur, & natu minimo, atqve ex altera coniuge suscepto, praeter & contra domus Carolinae consuetudi-

nem tanta augendi praerogativa tribueretur. Sed Lothario novissima Ludovici aug. divisione placato, Ludovicus Germanicus in iure suo per superiorem divisionem qvaesito, haud minori contentione, & pari constantia persistebat, perductis ad sententiam suam Francis Orientalibus, qvorum in ea causa haud leve momentum erat. Locupletes horum, quae dixi, testes sunt ipsimet scriptores Franci, inter qvos Astronomus scripsit. *Ludovicus* (Germanicus) *audiens huiusmodi patris erga fratres suos* (Lotharium novissima apud Vangiones partitione reconciliatum, & Carolum) *voluntatem, & regni inter eos* (excepta Boioaria) *divisionem, non tulit. Ideoqve qvicqvid regni trans Rhenum fuit, sibi adscribendum putavit, & vindicandum statuit. An. 836. ex notatione Chronologica Duchesnii.* Eandem in sententiam seqventia tradidit auctor annalium Metensium. *Ludovicus filius Imperatoris partem regni trans Rhenum qvasi iure sibi debitam affectans, per Alamanniam facto itinere venit ad Franconofurd: multorum ad se Orientalium Francorum animis prudenti consilio ad se conversis. An. 839.* Annales Bertiniani confirmant, *Ludovicum usqve ad Rhenum regni gubernaculum usurpare,* hoc est, regnare in Francia Orientali, qvam sibi vindicabat, nec movebatur postrema divisione, qvam a patre uxori & malevolis consultoribus obnoxio, statu regni factionibus proce-

rum

XXXIV

rum distracto, paucis ex senatu primorum suggerentibus, partiumqve studio laborantibus, ac minimum suspectis, confectam esse constat, atqve his adeo indiciis facile ostenditur iniquitas novissimae huius & perniciosissimae partitionis. Innuunt hanc atqve indicant annales Metenses. *Praefatus Imperator* (Ludovicus pius, qvo cognomine post mortem ornatus est) *Noviomagi conventu generali habito, consiliis qvorundam ex primoribus Francorum adqviescens, pacti conscriptione Ludovico filio suo regnum Orientalium Francorum, qvod prius cum favore eius tenuit, interdixit. Ille autem intelligens ex invidia Consiliantium talem prodisse sententiam, edicto posthabito, III. Kal. Decembris ad Franconofurd venit. A. 837.* Nec vero tantum Ludovicus palam contradixit, & de iniqvitate qvestus est, sed etiam ipsius patrueles, & Augusti Imp. nepotes Pipinus & Carolus, Pipini Aqvitaniae regis filii, immerito praeteriti, causam qverendi habuerunt, atqve inter hos natu maior, auctoritate avi non impeditus est, qvin regni Aqvitaniae heredem se diceret, & iure suo, divisione Vormatiensi non deterritus, uteretur. Sumptis enim armis, Pipinus repressit Carolum, & praelio commisso, actisqve in fugam Caroli copiis, bellum fortiter confecit, & composita pactione controversia, Aqvitaniam integram, lege tamen beneficiaria retinuit, Carolus, ut inter eos convenit, rece-

pts

ptis Pictavensi, Santonica & Engolismensi provinciis, acqvievit. Cuius belli exitum, pactionemqve subsecutam commemoravit scriptor annalium Bertinianorum, *An. 845. Damna & cladem Caroli legere est apud annales Metenses, an. 843. & 844. Sed de belli eius compositione & fine nihil ibi proditum est sub annum 845. qvo Carolus conflictatus est cum Normannis & Britonibus* (Cismarinis) *illorum irruptio, istorum seditio ei gravis & periculosa fuit.*

XI. Negavit, & profecto non concessit, qvod ex actis liqvet, rex Boioariae Ludovicus, rem hanc totam, qvae ad regni Francici partitionem attinebat, in arbitrio & potestate patris esse positam, & ratione exemplisqve tueri se voluit, ut efficeret, regnum, integra Lotharii dignitate, nec deminuto praecipui iure, qvod trans Alpes habuit, aeqvis partibus inter fratres dividi oportere. Neqve enim Luvicus tantum insigniter læsus, sed etiam iniuria affectus videbatur, cum tota, si Boioariam excipio, Francia prohiberetur, & fratri natu minimo posthabitus, illi etiam, qvi gravius peccaverat, patremqve bis dignitate exutum, sede sua & loco moverat, in regno dividi aeqvaliter solito, posthaberetur. Nam in ipsa etiam postrema defectione Ludovicus eo nunqvam progressus est, ut patrem de fastigio deiiceret, imperioqve & regno privaret, sed blanditiis

XXXV

ditiis novercae, & malevolentia inimicorum circumvento, occurrendum ſtatuit, ut partem aequam, & iure ſibi debitam, patre iam aetate confecto, & fratribus caſum expectantibus, defenderet tempeſtive ac vindicaret. Erat verus germanusque Francorum ſanguis Ludovicus, & iuſtam, eamq; tertiam Franciae partem Francus merito poſtulabat; verum indigne cum eo actum eſt, quando praeter Boioariam, reliqua ac propria Francia excluſus, & non tam iure, quod ad eam vel ſolo naſcendi titulo habuit, quam poſſeſſione ad tempus, contra morem Franciae, & contra aequalitatem, in diviſione Regum Franciae uſitatam, odio quorundam & invidia privatus eſt, contra quam iniquitatem ſe munire voluit, & a patre, velut paterni officii oblito, armatis precibus contendit, ut erepta ſibi reſtitueret, & meliorem aequioremve ſententiam ſequeretur. Quod cum non fieret, ſumma induſtria vires & auxilia ad recuperationem Orientalis Franciae comparavit, regionesque eo nomine ad ſe pertinentes, oblata opportunitate recepit, ac mortuo A. DCCCXL. inter has turbas patre, bello repetitas, novaque pactione confirmatas, cum ditione ſua coniunxit. Annales Fuldenſes tradunt, quæ ſeqvuntur. *Ludovicus Orientales Francos, Alamannos, Saxones, & Turingios ſibi fidelitatis iure confirmat. An. 840. Idem habent annales a Pithoeo editi, ſed error ineſt in rationibus*

temporum, qvibus non congruit annus 839. in Pithoeanis annalibus designatus. Confirmavit autem sibi Orientales Francos, non propter Boioariam, prima divisione ipsi concessam, sed propter Franciam Orientalem ei deinceps coniunctam, qvae praedictas Germaniae regiones transrhenanas complectebatur. Has enim iure posterioris, eiusqve auctae divisionis, sibi asseruit Ludovicus, Ludovici aug. filius, eodemq; ex capite in tabulis publicis se scripsit, aut revera subscripsit, Regem in Orientali Francia. *Diplomata innumerato sunt, & passim extant. Qvod ante subsecutas vicissitudines, vivente, nec improbante Ludovico Augusto, usu venit, Lotharius enim, patre mortuo, se subsignavit,* Regem in Francia, *haud dubie ob ultimam patris divisionem, qvam graves offensiones, & mala plurima secuta sunt, qvae diu in Franciae visceribus haeserunt.*

XII. Postea iniquitas superioris divisionis sublata est, qvum Carolus, mutata erga se Lotharii voluntate, in meliores Ludovici partes discessit, & regno suo metuens, paravit se ad bellum, quod a Lothario imminebat, repellendum. Elatior enim Lotharius, ultra quam effusa patris liberalitate ei obtigit, cupiebat, spretaque promissorum sanctitate, contra pactorum fidem, quam conceptis iuratisq; verbis firmaverat, omnem Franciam ditioni ac potestati suae subjicere voluit, & versis in pejora omnia

mnia consiliis, non defensor Caroli, quem futurum se receperat, sed hostis factus est, nec Ludovico fratri se aequiorem praebuit, erepturus ei regiones, si potuisset, trans Rhenum sitas. Ergo se mutuo cohortati fratres, condicto ad Colloquium loco, ad vim arcendam intendunt animos, fœdereque inito, regna sua tuentur, & provident, ne imparati opprimantur. Cumque Lotharii ingenium non esset quietis patiens, neque officiis mitigari posset, fratribus bellum intulit, nihil motus, neque rationibus, quae ad fidem servandam, neque conditionibus, quae ad pacem firmandam afferebantur. Post varios congressus, frustra habitos, armis contendunt infesti fratres, praeliumq; committunt, magna Francorum utrinque cadentium strage, sed Lotharianis tandem dilapsis, victoriam Ludovicus & Carolus sibi pepererunt, bellique fortuna superiores, partem regni Cisalpini, quae proxime ei obvenerat, nova partitione facta, inter se diviserunt. *Anno DCCCXL. duo fratres, Ludovicus & Carolus, Lotharium fines suos invadentem, occupandiqve totius Francorum regni consilia agitantem, bellique cupidum, nec portione nuper addita contentum, hostem iudicarunt, eoqve* A. *DCCCXLI. in Burgundia ad Fontanetum (Fontanidum aliis) devicto, inseqvente A. DCCC. XLII. regni Lothariani partem, cis Alpes sitam, aeqvaliter diviserunt, qvod Nithardus, re-*

XXXVI

rum multarum in bello togaqve gestarum, & sigillatim huius partitionis, cui ipse interfuit, oculatus testis adiutorqve comprobavit, libro IV. Est enim haec partitio inter duos, non plures, sigillatim inter Ludovicum & Carolum, Lotharii hostes, sub id tempus, qvo est confecta. Qvare non cum illis sentio, qvi autumant, hanc divisionem factam esse inter tres fratres, quae tametsi mutila est, tamen negotium hoc non inter plures actum est, qvam inter duos, qvod Nithardum inspicientibus patebit. Tanto minus concedendum Sirmondo est, divisionem eam, qvam hoc loco Nithardus tradidit, in primo titulo Capitulorum Caroli Calvi, *fuisse designatam, prout mentem suam aperuit, vulgari qvorundam opinione, & speciatim recentiori cuiusdam supplemento, qvod P. Pithoeus addidit, deceptus, in notis ad titulum huius Capitul. qvod in* Villa Colonia *(non in Ubiorum urbe Colonia Agrippinensi) promulgatum, omnino posterius fuit pactione apud Virodunum facta.*

XIII. Illud igitur victo restabat Lothario, ut postulatis fratrum concederet, eorumque haud neglectis obsecrationibus, aeqvum se praeberet, regnumque paternum citra Alpes aequis partibus dividi pateretur. Quae res consilio delectorum regni procerum A.DCCCXLII.suscepta,&A.DCCCXLIII. mense Sextili, assensu trium fratrum apud Virodunum,

num,ubi pactionis & partitionis causa convenerunt, feliciter perfecta, ac Ludovico Francia Orientalis, cuius tuendae gratia bellum gesserat, concessa, aut potius confirmata est, ita ut deinceps suo perpetuoque iure haberet omnes transrhenanae Germaniae tractus & pagos; ex Cisrhenana acciperet urbes Moguntiam, Vormatiam & Spiram, maxime ob earum agros vini feraces: Francia Occidentalis Carolo obtigit, reliqua inter Rhenum & Scaldim Lothario relicta, quam Ludovicus, fratrum novissime dividentium pater, *mediam* appellavit in tabulis de regni partitione Theodonis villae editis, quarum supra mentionem feci. *De regno in tres partes tributo legendi sunt annales Pithoeani ac Fuldenses, qui initam huius divisionis rationem brevius, Metenses vero & Bertiniani copiosius tradunt, atqve omnes in anno 843. congruunt. Sigebertus errore ductus, computavit annum 844. Contra aliorum rationes uno anno deficiunt, excusandæ forsan, si ad initia praeparationemqve divisionis respexerunt. Qvod Reginonis causa facile existimem, si numeri non sint mendosi. Idem Abbas confirmat, tres urbes Rheno coniunctas Moguntiacensium, Vangionum & Nemetum vini gratia Ludovico assignatas.*

XIV. Tres exinde Franciae tripartita fratrum divisione constitutae, & propter eas tres Francorum Reges, in suo quisque regno appellati sunt, quorum nemo in alium ius habuit, quamvis com-

muni nomine tituloque Regum Francorum uterentur. Reges tamen nostrae gentis ab anno, quoad recordari possum, DCCCXXXVI. in publicis subscriptionum formulis orientalem Franciam exprimere voluerunt, ut Franciam Germanicam, suis constitutam finibus, & a Francia Gallica seiunctam significantibus declararent. Hoc enim verum est initium regni Germanorum proprii & liberi, suoq; & separato iure constituti, & nunquam in eum statum redituri, ut cum Francia occidentali denuo coniungatur. Nam regni cuiusque limites a regni proceribus, finium peritis, designati, Regumque dividentium auctoritate & approbatione fixi, iurantiumque religione, ac solenni sacramento confirmati, certis veterum monumentis atque testimoniis nituntur. Non quaerenda alibi praesidia sunt, quando fundamentum operi substructum est a conditore annalium Bertinianorum. *Distributis portionibus, Hludovvicus ultra Rhenum omnia, citra Rhenum vero Nemetum, Vangium & Moguntiam, civitates pagosqve sortitus est. Lotarius inter Rhenum & Scaldem in mare decurrentem, & rursus per Camaracensem, Hainnaum, Loemsem, Castritium, & eos Comitatus, qvi Mosæ citra contigui habentur, usqve ad Ararem Rodano influentem, & per deflexum Rodani in mare, cum Comitatibus similiter sibi utrimque adhærentibus. Cetera usqve ad Hispa-*

niam

XXXVIII

niam Carolo cesserunt. A. 843. Quam divisionem, fide iureiurando obligata, persancte a tribus fratribus confirmatam fuisse tradunt Fuldenses ac Metenses annales, *A. eodem.* In Chronico Laurishamensi, quod Marq. Freherus edidit, librariorum vitio secundus dividens Ludovicus omissus, & portio Caroli mendose scripta est, nulla scriptoris culpa, cuius eum sequens pagina absolvit. *Karolo, qvi minimus natu erat, Occidentalia regna* (cesserunt) *id est, Germania* (Gallia legi debet cum Duchesnio) *usqve ad Rhenum* (ad Mosam, auctoritate Veterum) *atqve trans Rhenum nonnullae civitates.* Deficiunt quaedam, & supplenda sunt atque corrigenda. Ludovico autem Orientalia, id est, Germania usque ad Rheni fluenta, *atqve trans Rhenum* (ratione Franciae Orientalis) *nonnullae civitates.* Perinde ut eodem seculo de eadem divisione scripsit Sigebertus. Verum Duchesnius supplevit hoc modo. *Ludovico qvidem Orientalis Francia contigit,* recte, si rem ipsam specto, at non ex veteri, ut a Francis traditur, divisionis formula, si tamen hanc servare voluit iste Chronographus, qui de obitu Ludovici narrans, longe aliud indicasse videtur sequentibus. *Qvi (ut supra dictum est) in divisione regni Orientalem Franciam sortitus est:* unde, opinor, Duchesnius correxit, quanquam ea non respondent superioribus verbis, divisionem complectentibus, *occidentalia re-*

gna. Constat enim, Veteres ad hanc divisionem respicere solitos, dicere *partem orientalem*, & *regna orientalia*, quibus Franciam orientalem significabant; Reges autem transrhenanae Franciae, ante & post hanc divisionem, se *Reges in Orientali Francia*, in extrema inprimis tabularum parte, subscribere consveverunt, quod usus tractatioque diplomatum docet, & Ludovici Germanici exemplum firmat, qui eo titulo antehac ad regnum illud retinendum, postea ad eminentius significantiusque appellandum spectabat.

XV. Postea vero quam ad Orientalem Franciam accessit insignis regni Lothariensis portio, termini Franciae Orientalis in Franciam mediam promoti sunt, eiusque multi & ampli tractus cum Germania coaluerunt, qui non Francogalliae, extra cuius ditionem, teste divisionis formula, constituebantur; vacante autem Lotharii regno, in patrimonium Franciae Germanicae, ad quam iure pertinebant, redacti, regnum Ludovici, coniunctione utriusque regni facta, auxerunt, omisso tamen ab eo Franciae Lothariensis titulo, aut raro a successoribus usurpato. Proinde quorundam haec incrementa reputantium industria effecit, ut cum *regna Francorum*, imperiumque Francorum a scriptoribus *Francogermanicis* nominantur, tum Francos Orientales Lotharianosque coniunctos, una eademque

significatione comprehensos, existimare debeamus. Quae res ut planior fiat, non gravabor afferre testimonia, quae dictis fidem faciant, & loquendi formulas illustrent. Etenim Lotharius, priusquam imperio regnisq; se abdicaret, regnum suae ditionis, qua Francicum erat, A. DCCCLV. inter filios Lotharium iuniorem, & Carolum partitus est; alteri eam Galliae partem, quae Lotharingia ab eius nomine dicta est, alteri Provinciam Burgundiamque assignavit; Ludovico natu maiori filio regnum Langobardiae cum Romanorum Imperio reliquit. Ea divisio offendit Ludovicum, & querendi materiam ei praebuit, quod putaret, angustiores esse regni sui terminos, & Imperatoris Ro. dignitatem avo acceptam ferret. *Annales Bertiniani A. 856.* Deinde mortuo, quod A. DCCCLXIII. accidit, sine liberis Carolo, regnum eius inter fratres, Ludovicum & Lotharium aequis partibus divisum est, eaque re nova accessio facta ad regnum Lotharii, ex quo partem transiurani tractus, in quo Geneva erat, decerptam, Ludovico Fr. addixerat, *ut legitur in iisdem annalibus, quorum auctoritate libens utor.* Hinc sine progenie legitima decessit A. DCCCLXIX. Lotharius, de cuius regno fuit controversia inter Ludovicum Germanicum, & Carolum Francogallum. Ludovicus quoque II. Imp. ad spem capessendi huius regni se erexit, cuius causam agebat Nicolaus Pontifex,

misſisque ad Carolum nunciis, ſignificabat, regnum illud, morte Lotharii, iure hereditario ad Ludovicum rediiſſe. *Annales cit. A. 869.* Sed Carolus, nulla obnunciatione territus, quomodo fratrem idonea ſatisfactione placaret, cogitabat, eumque iuri ſuo non defuturum, animo praecipiebat. Quare data utrinque & accepta fide, inter Ludovicum & Carolum fratres convenit, ut regnum Lotharii iunioris aequaliter dividerent, atque ab iniuriis abſtinerent. Facta eſt haec ſolennis partitio in agro Leodienſi, atque in Procaſpide ad Moſam fl. inter Heriſtallium & Marſnam, anno, qui in Chriſtianorum faſtos relatus eſt, DCCCLXX. V. Kal. Sextil. Aequa enim Ludovici poſtulatio, & iuſta pacis ineundae ratio, non magis cum dignitate regum, quam cum ſalute regnorum coniuncta erat. Ludovico præter complures regni Lothariani urbes & tractus, etiam perantiquae, & a Romanis conditae urbes Colonia Ubiorum, Auguſta Trevirorum & Argentoratum, congruentibus tranſigentium ſententiis, aſſignatae ac traditae, regnoque Orientalis Franciae, ſtabili & perpetuo nexu coniunctae fuerunt. Moguntia enim, Vormatia & Spira, iam ſuperiori diviſione regno Germanorum attributae, minime ad Lotharii regnum pertinebant. *Diviſio haec inſignis maxime ac memorabilis extat cum pactione iurata, quae ſolennem hanc diviſionem praeceſſit, &*

eodem

eodem anno Aqvisgrani facta est, in Capitularibus Regum Francorum tit. XLII. In annalibus Bertinianis an. 870. in Aimoino, vel potius Aimoini appendice lib. V. c. 25. Exinde desumptam, & cum duobus MST. codicibus collatam Nithardo subiunxit P. Pithoeus, p. 488. seq. Post eum A.. Duchesnius edidit, t. II. p. 253. seq. Ex Aimoino *citavit Jacobus Sirmondus, in notis ad Capitularia Caroli Calvi. Goldastus in Constitutiones imperiales retulit, qvia per illam rationes finium Imperii Germanici constitutae sunt Francogalliam versus. Non enim Imperatoria, sed regia duorum transigentium auctoritate se tuetur. Eodem auctore inscribitur* transactio Procaspidana, *& pro* VI. Idus Augusti, *ad oram notatur,* V. Calendas Augusti. *Priorem Calendarii Romani numerum retinuit Duchesnius, sed alter defenditur auctoritate annalium Bertinianorum, an. 870. Non hic omiserim, tres urbes,* Lugdunum, Vesontium & Viennam, *& alia qvaedam ex regno Caroli,* cui Provincia cum parte Burgundiae obvenerat, *distributione facta,* ad regnum *Lothariense*, & *hoc postea diviso, ad regnum Francogallicum Caroli pervenisse, atqve adeo in prima Lotharii Imp. divisione, extra Lotharii iunioris regnum fuisse. Ne vero cum Thuano sentiamus, cavendum est, qvi minus accurate interdum explicuit res antiqvas Francorum, & scripsit,* Coloniam Ubiorum ab Ottone M. translato a Francis ad Ger-

 manos

manos Imperio, iuris Germanici factam, *histor. lib. LXXVI. Nam ipso hoc Carolingorum seculo, regnantibusque Francis, & diu ante successores eorum in regno Germaniae Saxones, atque adeo ante Ottonem M. ex formula partitionis in Procaspide factae, non procul Ubiorum finibus, Colonia Ubiorum in ditionem Germaniae venit, ac inter Urbes regias, sive Imperii Civitates, relata, integro iure, & incolumi statu, mansit usque ad hunc diem. Nec assentior Christ. Brovvero, Ignatianae sodalitatis patri, viro ceteroquin patriarum rerum insigniter perito, qui putavit, pagum* Megenensium, *in formula divisionis Procaspidicae nominatum, Ripariis esse attribuendum. Annal. Trevir. lib. VIII.*

XVI. Quae divisio simultates inter utrumque regem gliscentes extinxit, & novos utrique regno terminos constituit ac definivit, ut non iam Rhenus, quemadmodum antea fuerat, tribus urbibus cum tractu cuiusque exceptis, sed Mosa, demptis aliquot citerioribus oppidis, inter Germanicam, Gallicamque Franciam limes esset. Contributa enim Ludovico Regi, & simul regno Germaniae in perpetuum coniuncta est ea hereditatis Cismosanae portio, quam intercepit quidem & usurpavit Carolus, sed agnito violentae possessionis vitio, a fratre admonitus, bellumque eius rei causa veritus, incepto destitit, & regnum, ad quod frater ius habuit, vel ipsa

ae-

aequitate postulante, & more etiam atque instituto superiori movente, aequis partibus cum fratre divisit, adeo ut urbes regionesque Lotharianae citeriores Ludovico deberentur merito, & tribuerentur quoque ac traderentur, eaeque ad heredes & omnes eius successores transirent, & cum regno Germaniae, cui innexae sunt, firma perpetuaque retinendi lege transmitterentur. Haec mens transigentis Ludovici Germanici fuit, hanc transactionis causa exitusque ostendit, hanc, patre mortuo, filii Ludovicus iunior & Carolomannus, adversus callidam versutamque patrui interpretationem declararunt, & constanter tutati sunt, hanc denique, extincta Carolingorum in Francia Orientali progenie, Saxo-Vitikindei Germanorum Reges consilio, sententia, armisque defenderunt. Quinimo Ludovicus, ut potior regni Lothariani heres, etiam Nicolai Pontificis sententia habitus, in transigendo aequior, & in concedendo liberalior fuit, nec multo post eum solicitavit Ludovicus patruelis, ut partem suam nova pactione sibi traderet, partemque alteram Carolo traditam ipse repeteret, iunctisque secum armis, nolenti extorqueret. Sed nihil tale is executus est, nec pars regni huius adempta Carolo, quem bello Normannico distractum, opibus fortunisque evertere potuisset. Nisi quod, ob iter trans Alpes susceptum, praereptumque adeo Romano-

manorum Imperium, fratri infensior, anno DCCCLXXV. filios ad resistendum ei in Italiam misit, ipse autem duxit in Galliam, & facta regni vastitate, in Germaniam rediit, ac sequenti anno decessit. *Rem hanc executi sunt* Aimoinus, *sive auctor Appendicis Aimoini, qvam in editione VVecheliana curavit Freherus, lib.V. c.28. Annales Bertiniani A.872. Qvo respexit ipse Carolus, in titulo XLIV. Capitularium suorum, ubi Ludovicus dicitur* sacramenta disrupisse, & æquivoco (cognomini) suo Hludovico Imperatori se coniunxisse, *anno annalibus Bertinianis congruente, qvem emendatae rationes firmant.* Sed *res ea intra pactionem stetit, & sine armis acta est; tum destinata* magis, *qvam instituta iure feciali repetitio, bellumqve post ex alia causa Carolo illatum. Neqve Carolus, dum frater viveret, ex eo capite qvicqvam asseruit sibi & regno suo vindicavit, conscius sibi conditionis suae, qvae, non repugnante fratre, melior facta, etiam recrudescentibus mutua aemulatione odiis, belli & ancipitis fortunae casibus non subiicienda videbatur. Illud ergo fraudi non sit Ludovico, uni omnium primo separatae Francogermaniae Regi, qvod pro conditione temporum consilia Caroli consiliis contraria agitaret, rebusqve suis tempestive caveret, ambitiosumqve Regem, idoneo potentiae temperamento, ad moderationem revocaret. Hinc merita eius cumulate*

 memo-

memorantur in Chronico monasterii S. Arnulfi, quod annalium Metensium titulo, quem Duchesnius addidit, celebratur. In anno eius emortuali 876. Gemina scripsit Laurishamensis Monachus, & iustum, pium, misericordem, *appellans, tribus verbis maximas Ludovici Germanici laudes absolvit.*

XVII. Cum ergo Ludovicus in separata Germanorum Francia primus regnarit, tum primus quoque omni Franciae transrhenanae regis titulo præfuit, eiusque ratione *Germanici* cognomine singulariter & per eminentiam appellatus, hoc amplius obtinuit, ut, prolatis finibus, illi honor acquisiti Lothariensis regni debeatur. Quo unus elogio discernitur ab omnibus in regno Germaniae successoribus, qui rempublicam ab eo legibus Germanicis constitutam, & deinceps virtute ipsius auctam se accepisse, fateri necesse habent; primi acquirentis dignitatem in utroque & coniuncto regno derogare non possunt, & religione animi, ac recordatione meritorum prohibentur. Quamobrem haec Lotharingia citerior non statim Germaniae, cum seorsim res suas constitueret, coniuncta, sed postquam coniunctio accidit, eodem iure, quo Germania, usa est, & iisdem, quibus illa, regi auspiciis cœpit. *Instrumentum partitionis, ex qva Lotharingia Germanica originem ducit, ut hodie extat, portiones inter utrumque paciscentem divisas* com-

comprehendit, ſed momenta & *cauſas initae pactionis,* & *factae partitionis, aliunde,* & *ex monumentis horum temporum colligamus facile* & *suppleamus. Minus accurate Goldaſtus partitionem in Procaſpide factam nominavit* transactionem, *qvia in Procaſpide non transactum, ſed erciſcundae hereditatis negotium confectum eſt, qvando formula transactionis, qva lites Lotharianae hereditatis* & *finium compoſitae ſunt, Aqvisgrani facta colligitur, propterea qvod in ea urbe, pridie Nonas Martii, an. DCCCLXX. inter Reges disſidentes, dato utrinqve iureiurando, convenit, eaqve ex cauſa* pactio Aqvisgranenſis *vulgo dicitur,* & *pasſim celebratur.*

XIIX. Finitis ita aequabili compoſitione disſidiis, duae regni Carolini partes, a primo acquirente *L*udovico, in ditionem Germanicam redactae, & A. DCCC*L*XXIIX. pactione Furonenſi, a *L*udovico, *C*aroli *C*alvi F. de integro confirmatae, magnum auctoritatis pondus merito habuerunt; regno quoque ex duobus regnis arctiſſime iunctis conſtituto, haec nova dignitas conciliata eſt, ut eminentiore nominandi ratione a ceteris diſtingveretur. Praeſto ſunt haud ſuſpecta monumenta, in quibus regnum Franciae Germanicae a Francogallia ſeiunctum, *Imperii Francorum* titulo inſignitur. Duo afferam teſtimonia, quae id confirmant, annalium Metenſium, & qui horum verba

reti-

retinet, Reginonis. Utrobique enim legitur, Arnulphum, Carolomanni F. & Ludovici Germanici nepotem, *Imperii Francorum sceptra suscepisse*, id est, regnum Germaniae a regno Franciae Gallicae separatum, regno autem Franciae Lotharingicae auctum, *an. 880.* Eodem modo scripsit Vitichindus Saxo, Francos scribendi duces secutus, *annal. Sax. lib. I. & II.* Non dubito hanc fuisse causam Ottfrido, quamobrem auctorem & acquirentem utriusque regni appellaret, *Orientalium Regnorum Regem*, quæ formula ut antiqua, sic eminens est, & observatu digna, quam in libro *Odei* vetustissimo scriptam reliquit. Ratio huius tituli facit, ut credam, Vitichindum Henrico Aucupi, summam potentiae gloriam ex regno Francorum Orientalium consecuto, *Imperatoris*, id est, regnorum, Germanici & Lothariani Regis, tribuisse, *annal. lib. I.* Quod de Francis Occidentalibus non legas uspiam & animadvertas in antiquis, & simplici veritate se tuentibus monumentis. Nam de Augusta Imperatoris Romanorum dignitate, quam Otto magnus, Henrici F. anno DCCCCLXII. primus omnium ad Francos Orientales & Germanos transtulit, nullum ei, ut vulgo putant, sermonem esse, ex instituto scribentis, & nexu historiae patet satis, & facile probatur. *Pactio, sive, ut inscribitur, Conventio Furonensis extat inter Capitularia Caroli Calvi, unde mutuatus est Goldastus, & addidit*

dit Constitutionibus Imperialibus, t. III. Duo hic notanda veniunt, qvod Conventus Furonensis apud Furonos, ubi regia villa erat, in finibus Herstalli & Marsnae, habitus fuerit, & qvod eodem tempore Ludovicus in Gallia occidentali regnaverit, qvem Goldastus perperam vocavit Imperatorem (*Romanorum*). *Praeterea rationes non congruunt, & annus 878. definit tempus, qvo congressi, collocuti & pacti sunt Reges. Sed Goldastus in anno discrepat, & acta Comitiorum Furonensium* (*ipse* Furoniensium *scribit*) *rejicit in annum 879. Ab his partibus stat Aimoinus, sive potius auctor supplementi, Aimoini nomine inscripti, lib. V. c. 38. Idem numerus expresse notatur in Capitulari, qvod commemoravi. Pro me faciunt annales Fuldenses, primum a Pithoeo editi, qvorum auctoritatem corroborat eventus, qvem signat Ludovici balbi, Francogalliae regis, obitus, qvi contigit ante anni 879. Calendas Novembreis, in qvas Comitia apud Furonos habita incidisse memorantur.*

XIX. Fecit quidem contra fidem conventionis Carolus, quum Ludovico fratre mortuo, pro recuperando Lotharii regno, repetendisque citimis Rheno urbibus, comparato ad exequendum exercitu, anniti cœpit, sed Ludovicus, Ludovici Germanici filius, regni Lothariani ex divisione heres, male mulctato eius exercitu, propulsavit iniuriam,

iuriam, & fines ſuos, ſuſcepto iuris tuendi conſilio, ſtrenue ac fortiter defendit. Neque eo ſecius frater Carolus portionem ſuam retinuit, quam traditis aliquot Lotharingiae urbibus, aequa dividendi ratione accepit: neque Carolomannus de Italiae regno decedere voluit, poſſeſſione ſubnixus. Patre mortuo, repentina temporum inclinatio ſecuta eſt, & rebus in periculum adductis, Rex Francogalliae Ludovicus, metu maioris mali, ad paciſcendum deſcendit, ac nova pactione ius Ludovici, in regno Lotharingiae acquiſitum, & a patre Ludovico ſucceſſione deductum, eoque defuncto, diviſione inter fratres inſtituta, eidem Ludovico traditum confirmavit. Capita conventionis Furonenſis dilucida ſunt, & ſatis probant, in quorum prooemio haec leguntur. *Sicut inter patrem meum Carolum* (Francogallum, vulgo Calvum) *& patrem veſtrum Ludovicum* (Germanicum, primum ſeparatae Germaniae, & Lotharingiae Germanicae acquirentem) *regnum Lotharii diviſum fuit, volumus, ut ita conſiſtat.* Confutat iniuſtitiam patris Caroli *aſſerentis, ſe cum fratre, non cum nepotibus* (fratris ſui filiis, Carolomanno, Ludovico, & Carolo) pepigiſſe. *Annales Metenſes an. 876. Regino Chron. L. II. in anno eodem.* Alterum, quod ibi ſequitur, ad Carolomannum ſpectat, cui praeter portiones patrimonii Germanici, Boioariam, regnaque Slavorum

 & Pan-

& Pannonum coniuncta, regnum Italiae possidendum relinquitur, his verbis: *qvicunqve modo illud tenet* (tenebat autem Carolomannus) *ita teneat, donec Domino volente simul convenientes cum communibus fidelibus nostris, inveniamus & definiamus, qvod ex hoc melius & iustius fuerit.* Aliquanto post Ludovicus balbus fatis concessit, nec quidquam trans Alpes habuit, aut adeptus est, regnum vero Italiae cum Ro. Imperio, exclusis Ludovico balbo, & successoribus Francogallis, pervenit ad Carolum, tertium Ludovici Germanici filium, cui Alamannia, & aliquae regni Lothariani urbes attributae sunt, in quarum firma & iusta possessione permansit. Partem enim Lotharingiae, quam accepit Carolomannus, eam Ludovico fratri dedit, qui rursus cum fratre Carolo divisit, & utraque post mortem Ludovici, denuo coniuncta, in Caroli ditionem venit, & inter has quoque vicissitudines, nunquam translata est ad Francogallos. Annales Pithoeani. *Hludovicus Karoli Regis filius timore perterritus propter iniurias a patre suo Regi illatas, legatos ad eum dirigit, pacem postulat, & se de omnibus, quae contra eum genitor suus gesserat, excusare nititur. An. 877.* Eodem anno Lotharingia Germanica a tribus fratribus tripartito, & insequenti, cum iure suo cederet Carolomannus, bipartito divisa traditur, atque hoc argumento fuit & mansit o-

mnino

omnino Germanici iuris. *Rex Hludovicus ad Aqvas in mense Octob. perrexit, & cum aeqvivoco suo Caroli Regis filio haud procul inde colloqvium habuit. Annal. Pith. an. 878.* Innuunt profecto & indicant *conventum Furonensem*, illo ipso, ut paulo ante dixi, anno habitum, quem annales Bertiniani eodem anno definiunt, magnumque momentum afferunt ad veritatem eius rei confirmandam. Annales Metenses insuper tradunt, Ludovicum & Carolomannum, Ludovici balbi filios, quos Carolus avus sane pro legitimis habuit, repentina irruptione territos, Ludovico Austrasiorum Regi, *portionem regni Lotharii, qvam avus paterqve tenuerat, ex integro illi concessisse, addita insuper Atrabatis Abbatia S. Vedasti. an. 879.*

XX. Quae pactiones consensu Francorum populi, aut Procerum e populo delectorum firmatae, non reges tantum, sed eorum successores & regna obligarunt, tum renovatae aliquoties & voluntate paciscentium corroboratae, pleraeque etiam ac priores iurisiurandi vinculo astrictae, sanctissimoque societatis humanae praesidio communitae, atque ab invadentium iniuriis defensae, neque unquam abalienatae, neque amissae sunt aut derelictae. Quare standum est his pactis, in quibus cardo iuris Germanici vertitur, quibusque non magis cura vicinitatis, quam finium securitas

continetur. Saepe quidem antea Auſtraſiae, non ſecus ac Neuſtriae ipſiusmet, & Burgundiae quondam termini moti aut mutati ſunt, prout neceſſitas temporum mutandi cauſam praebuit, Regesque ſuperiorum temporum, variis bellorum occaſionibus & caſibus, eo induxit, ut novas partitiones facerent, regnorumque fines non eodem ſemper modo conſtituerent ac metirentur. Poſtea vero quam regna diviſa, & in perpetuum ſeparata, ac ſeparato iure conſtituta ſunt, termini utrinque fixi, voluntate iudicioque paciſcentium, aſſentiente populo, definiebantur, quemadmodum conditio ſalusque regnorum, quae dividebantur, ferebat. Utique enim ratio firmandae inter vicinos pacis, regnantiumque ſecuritas depoſcebat, ut inter regna, quae mutuo conſenſu dividi placuit, firmus eſſet ſtabilisque limes, quo finium controverſiae, valituro in perpetuum pacto, dirimerentur commode, ac ſublatis belli cauſis, terminarentur. Conſtituti ergo inter utrumque regnum termini ſunt, qui vel ſitus locorum indicio, & vicinitatis cauſa melius conſtitui non potuiſſent, quando Germanicis rationibus pars Lotharingiae propior conveniebat, hisque adeo rebus fiebat, ut Lotharingia citerior, quam potior, & aetate prior in Germania heres vindicabat, non regno Francogalliae, ſed Germaniae, cuius fines contingebat, attribueretur,

quod

quod Regum conventione usuprobatum, negotiumque perfectum est, sic ut deinceps Lotharingia citerior ditioni Germanorum arcto fœdere, & aeterno nexu, sine ulla repetendi spe, & sine ullo recuperandi iure coniuncta, vera regni Germanici pars esset. In hoc non caduco, neque fragili fundamento innixi Germanorum Reges, Lotharingiam regno suo attributam, & suscepto bello defensam, ac nova pactione Furonensi, rursus pleno iure confirmatam, atque ab omnibus Carolingis in Gallia regibus approbatam, summa, nec dependenti potestate habuerunt, regnisque Germaniae divisis, ac denuo, quod sub Carolo Crasso accidit, coniunctis, insignem hanc debitamque Germaniae accessionem, felici rerum cursu, integram adepti, Germanico nomini asseruerunt, mortuisque in Germania Carolingis, successores ex stirpe Saxonica reges repetierunt fortiter, & recuperarunt, cessamque & eieratam ac redditam firmo retinendi animo, retinuerunt pariter, ac iure viribusque freti, armis defenderunt. *Lotharingiam citeriorem auspiciis Germanicis constitutam, & conservatam esse, historici consentientes tradunt.* De Ludovico, Ludovici Germanici F. constat, eum propugnasse pro Austrasiis, & propulsasse invadentem Carolum, & armis adegisse Ludovicum Caroli F. ut Lotharingiae, qua in Germaniae fines descripta erat, nuncium remitteret, eamque in fide ac ditione Germanica esse pariter ac manere vellet.

Re-

Regino, & annalium Metensium scriptor, tradunt. *Ludovico* (Austrasiorum regi) *portionem regni Lotharii, qvam avus paterqve tenuerat, ex integro concessam, ita ut iis finibus contineatur & consistat, qvibus inter Carolum & Ludovicum Germanicum* in Procaspide *divisum erat, & si aliqvis Caroli fidelium de regno patris sui ex eo aliqvid purprisum* (male quaesitum, & usurpatum, ut annales Bertiniani explicant), *habeat, iussu regis illud dimittat* (apud Goldastum, *dimittatur*) id est, reddat ac restituat Ludovico, legitimo Lotharingiae Germanicae regi, quemadmodum legitur in conventione Furonensi. Nec quidquam de Austrasia detrahi passus est Carolus Crassus, sed Normannos eam incursantes, misso exercitu, propulsare voluit, & liberare illam regni Lothariani partem, *ut Regino, ex eoqve Collector annalium Metensium an. 884. 886. commemoravit. Qvi ante utrosqve scripsit Monachus SanBertinianus scribere desiit anno 882.* quo armavit primum & misit exercitum contra Normannos. Neque is amisit, aut abalienavit Lotharingiam, sed ipsam aliquandiu Franciam Neustricam, volentibus & invitantibus eius regni optimatibus, tenuit, quod praeter scriptores Francos tradit *Asser Menevensis in vita Aelfredi.* Caroli successor Arnulphus, Carolomanni F. cum Zventiboldo filio Rodulfum, Lotharingos ad seditionis consilia

consilia instigantem expulit, & eundem filium regendo Lothariensi regno imposuit, sed ea lege, ut in sua Regis Germaniae fide clientelaque esset. Significanter annales Metenses. *Zventibolch filium regno Lotharii praefecit. an. 895.* Optimatum regni Germanici, ad quos ea res quoque pertinuit, consensu, Lotharingiae impositus, tituloque regis ornatus est, sed *regis augusti* titulum decreto eius, quod anno 898. emisit, errore ductus praescripsit Goldastus, non fide diplomatum, sed ex ingenio, & eo quidem consilio, ut Zuentiboldum in Caesarum, sive Regum Romanorum numerum referret. *t. I. Const. Imp. an. cit. in notis ad oram.* Ibidem annumeravit regibus Franciae Orientalis Zuentiboldum, qui cum Lotharingiae regnum patri, Franciae Orientalis regi, acceptum tulit, tum auspiciis Germanicis tenuit, neque ea contentus, Burgundiam invasit, *ut ex Regione fidem facit Chiffletius, Vesontionis parte II. in Theoderico I.* Zuentiboldus anno 900. in praelio ad Mosam commisso cecidit, regnumque ad Ludovicum fratrem rediit, quem regni Optimates eius rei causa accersiverant, *annales Metenses an. eodem.* Ab excessu Ludovici, Carolingorum in Germania ultimi, Carolus simplex, Ludovici balbi F. Caroli Calvi N. occupavit regnum Lotharii, non secus, ac si in regum, qui decesserant, patrimonio fuisset. Equidem

Conradus I. Germanorum Rex non iure, sed viribus & potentia destitutus, belloque Ungarico impeditus, invadentis perfidiam hostis ulcisci non potuit, temporum vitio, & calamitate belli, nullo tamen cessionis, aut derelictionis indicio, quandoquidem arma vindicandi iuris causa cepit, quod testimonio pervetusti Sangallensis Chronici firmo. *Conradus ipso anno* (DCCCCXII.) *Francos, qvi dicuntur Lotharingi, hostiliter invasit.* Et seqventi anno DCCCCXIII. *Conradus cum exercitu Regnum Lotharingorum ingressus est.* Non certe amittendi animo, sed vindicandi. Is ubi e vita migravit, longe alia rerum Germanicarum facies extitit, & Henricus Saxonum ac Thuringorum Princeps, electus est Germanorum rex, qui suam Germaniaeque causam animose & fortiter tutatus est, regnumque Lotharii non ut alienum, occupavit, sed ut regni ad se delati insigne membrum repetiit, & iure suo usus est, quod inde a Ludovico Germanico, ad ipsum, & omnes in regno Germaniae successores derivatum, atque adeo debitum, reposci oportuit & recuperari. Idcirco Henricus restitutionem flagitavit, & Lotharingiam iure pertinentis, & partis regni vindicavit merito ac recepit, eamque cum ditione Germanica, cui subtracta fuerat, coniunxit. Auctor supplementi Reginonis quae inter Reges acta sunt, non omisit, summatimque complexus

XLVIII

eſt. *Carolus* (ſimplex) *& Henricus* (transrhenanus Saxo) *apud Bonnam Caſtellum conveniunt*, *& pacem inter ſe facientes, foedus ineunt: & Carolus nunqvam ſibi amplius Lotharienſe regnum uſurpaturum promittens regreditur. an. 924.* Duo hic in controverſiam vocantur, quando foedus initum, & quid foedere comprehenſum fuerit, caputne tantum factae pacis, an reſtitutionis Lotharingiae, de qua certatum eſt inter duos reges. De anno diſſentiunt ſcriptores, nec eodem modo ſupputant, in Capitular. annus legitur DCCCCXXVI. In Sigeberto DCCCCXXIII. in Reginonis ſupplemento DCCCCXXIV. Sed mihi potior eſt Frodoardi auctoritas, definientis annum DCCCCXXI. quo initum eſt Bonnenſe pactum. Tricatur Blondellus, & in huius argumenti parte non eſt ingenuus, quando affirmare haud veretur, auctorem ſupplementi Reginonis, & cum eo Sigebertum, ac Ottonem Friſingenſem veri oblitos, haec talia de reſtituta per Carolum Henrico Lotharingia ſcripſiſſe, vel eo argumento, quod Bonnenſis pacti tabulae, prout integrae & incorruptae extant, nihil praeter pacem & amicitiam contineant, de ceſſione autem & reſtitutione Lotharingiae facta ne verbum quidem complectantur. Nemo tamen ſincerus antiquitatis aeſtimator Blondello conceſſerit, totum hoc caput, quod de ceſſione & reſtitutione Lotha-

ringiae veteres tradunt, prorsus esse confictum. Nam, quod nemo inficiari potest, veraces ingenuique scriptores, Frodoardus & Dithmarus, etiam non dissimulante Blondello, testantur, Lotharingiam ab Henrico recuperatam, in fidem ditionemque Germanicam rediisse. *Ille in Chronico an. 925. Henrico cuncti se Lotharienses committunt. Et an. 926. Ebrardus quoque transrhenensis in regnum Lotharii mittitur ab Henrico, iustitiam faciendi causa, & Lotharienses inter se pace consociat. Iste libro I. Chron. tradit*, *Carolum simplicem Henrico omne regnum Lothariorum, si ab eo liberaretur, traditurum sacramentis promisisse.* Otto I. cognomine magnus, Lotharingos ad obsequium redegit. *Frodoardus Chron. an. 939. Otto rex in regnum Lothariense regrediens, pene cunctos ad se redire coegit Lotharienses. Et anno 940. Otto rex Henrico fratri suo regnum Lothariense committit. Post hunc Otto Frisingensis Chron. lib. VI. c. 19. Sigebertus an. 945. Nec omittendus est Adamus Bremensis Hist. Eccles. lib. II. c. 2. Ubi regna, quae Otto M.* suo imperio subiugavit, *Lotharingicum inprimis & Burgundicum intelliguntur.* Qua de causa in tabulis, speciatim ad regnum Lotharingiae pertinentibus, titulum praescripsit regis *Lothariensis & Francigenum*, cuiusmodi extant apud A. Miraeum, quae admoneant, Ottonem, confirmato in Lotharingiam iure, recte sumpsisse regis

Lotharienſis titulum, cum regni eius adminiſtrationem auſpicaretur. Rectius profecto, quam Carolus Calvus, qui ex occupatione Lotharingiae argumentum ſucceſſionis ducebat, regnique eius annos perinde ac Franciae Neuſtricae, ex diverſa tamen cauſa acquiſitae, in tabulis notabat. *Exemplum huius rei ſuppetit in Aimoino, lib. V. cap. 35.* Sed vis iſta Caroli atque impetus, nullum invadenti ius dare potuit, qui ſciret deſcripta iura finium, neque ignoraret pacta ſanctiſſime conventa, quae ab ipſo violata ſunt, cum ab alienis non abſtineret manus. Agnovit hoc poſt proavum Lotharius, & regnum Lotharienſe non modo non retinuit, ſed quoque redditurum ſe recepit, ac non repetendi animum ſimul declaravit aperte, & Lotharingiam eieravit. Quam in rem ſcripſit Sigebertus. *Otto Imperator, & Lotharius Rex, convenientes ſuper Carum fluvium pacificantur, datis invicem ſacramentis, & Rex Lotharius Lotharingiam abiurat. an. 980.* Otto III. haud minorem in tuendo imperio conſtantiam probavit, & ſervatae Lotharingiae laudem tulit, ſuffragante etiam Blondello, qui *univerſam Lotharingici regni poſſeſſionem, penes Ottonem III. illibatam manſiſſe,* ingenue confitetur.

In genealogiae Franciae pleniori aſſertione, p. 267.

DE AUSTRASIA, REGNANTIBUS
FRANCOGALLIS CAPETINGIS.

I. Constat dictis fides, & longiori esse mihi non vacat, quando satis pro dignitate argumenti, & servatis per duo capita historiae legibus, exposui, Austrasiam, sive recentiori nomine Lotharingiam, vero & antiquo iure Germaniae teneri. De qua nihil delibavit aut detraxit Hugo Capetus, Hugonis magni filius, & novae in Francogallia stirpis conditor, neglectis Ludovici ultimi, qui iuvenis decessit, agnatis, non iure Karolini sanguinis, sed Procerum suffragio A. DCCCCXXCVII. Rex electus, *teste Odoranno, & auctore membranae Floriacensis h. an.* Is autem servata pactorum fide, non movit regni terminos, nec posteri eius lites de finibus excitarunt. Quod praeter monumenta & tabulas, quas Imperatores, qua Reges Germaniae promulgarunt & impertiti sunt, sine suspicione falsi testantur, nec diffiteri potest, ille alioqui in res Germanicas iniquissimus, cetera autem doctissimus Blondellus. Idoneus & gravis ex tertio decimo seculo testis est *Albertus abbas Stadensis*, & ex veteri itineris Romani libro confirmat, iura finium lapide in utriusque regni limite posito, designata fuisse. Neque haec labefactata sunt a Capetingis illorum temporum, reputantibus, quid ex pacto suum, quidve alienum esset. Praeterquam enim quod primi divisionis aucto-

res fidem, sua & successorum causa, conceptis verbis obligarunt, signum quoque publicum statuerunt & collocarunt, quod fines utriusque regni apertissime separaret. *Lapis positus est in media villa* (Rulie) *iuxta viam, quae disterminat Imperium & regnum Franciae. Chronici a Reineccio editi pag. 183.*

II. Nullus ergo Regum nostratium ad haec usque tempora extitit, qui tuendorum patriae finium curam sic abiiceret, ut Lotharingiam a Germaniae corpore, cui arctissime iuncta & agnata est, avelli cuperet, aut avellendi voluntatem ullo evidente indicio ostenderet ac significaret. Saxones ipsi contrariis factis se tuebantur. Salici haud segnius faciebant. Hohenstauffii dignitatis aeque ac iuris tenaces erant. Sed post horum fatalem casum, & sigillatim post Friderici II. Imp. decessum, turbatis interregno Germaniae rebus, Francogalli, fixas pactorum tabulas revellere sensim, & aliquas regni Lothariani partes usurpare cœperunt. Qua in re nihil admissum, certe nihil abalienatum aut cessum est ab Austriis, non a Rudolpho Habsburgio, cui instauratae e ruinis Germaniae gloria debetur. Nihil iuris Austrasici in Francogalliam transtulit, & vicinis etiam iuris nondum extincti vestigia videntibus, cum apud Alsatiae urbes, in vero & veteri Austrasiae fundo, vicinoque Burgundiae comitatu summam potestatem exemplis confirmaret. Albertus Rudolphi filius,

us, non discessit ab officio retinendi bona Imperii, & modestiae inprimis suae specimen dedit, cum Bonifacius IIX. Philippo pulchro interdixisset sacris, regnumque Francogalliae in electum Imperatorem transferre constituisset. Luzelburgici nihil dederunt donaruntque externis regibus, sed tota eorum liberalitas intra Imperii fines constitit, nec prodigalitas Venceslai latius evagata est: Sigismundus denique illorum ultimus, quod pro temporum statu potuit, rationibus Germaniae consulere voluit, & repetere Franciam, certe Lotharingicam, & multis ante seculis, Germanici iuris factam. Qui Sigismundum secuti sunt Imperatores & Reges, haud alio erant animo, & inter eos Maximilianus I. indignissime tulit ablatas Germaniae provincias, earumque indice confecto, qui apud Chiffletium extat, repetendi significationem dedit, & malae fidei possessores *usurpatoresqve* admonuit officii sui, & obligationis de restituenda re aliena. Carolus V. perinde ac alii, qui praecesserunt, nihil de iure suo remisit, aut deminuit, atq; in hoc conceptis verbis obligavit fidem. Cuius augustissimi successores sanctissimo iurisiurandi vinculo se astringi patiuntur, &, nisi fortuna temporum impediat, repetere partes per vim iniuriamq; ablatas, & colligere adeo reliquias, atq; in corpus Germaniae, a quo avulsae & abstractae sunt, conflare iterum, ac re-

digere

L1

digere in ditionem pristinam, & promissi implere fidem, pactique praestare capita tenentur, si quidem facultas praestandi sit, in regno praesertim per suffragium delato, in quo haec talia communibus auspiciis geruntur. Quicquid ergo non dubii & explorati iuris habet Germania, sive trans, sive cis Alpes, sive in Imperio Ro. & regno Langobardiae, sive Burgundiae, sive Lotharingiae, sive in *Ducatibus* ex ea reliquis, tam superiori & Mosellano, quam inferiori, & Brabantiae, sive in aliis ex Francia media residuis tractibus regionibusque, id totum, quantumcunque est, iuris Germanici esse intelligitur, & multis rerum documentis, atque indiciis non inanibus liqvet. Ipse ducatus Lotharingiae, qvi ex veteri illius nominis regno superest, nondum ita a rationibus Germanicis seiunctus est, ut prorsus extra Imperium censeatur. Qvi salvo Imperii, & heredum, ad qvos pertinet, iure, etiamnum a Christianissimo rege detinetur, de cuius salute & libertate Fœderati, qvos haec tangit cura, laborant, & interposita patrocinii ac praestandae restitutionis fide, consilia & vires coniungunt, sua & Imperii causa non passuri, ut perantiqvi Europae Duces, Imperioqve arcte coniuncti, & maximorum Principum, Imperatorum Regumqve propinqvi ac necessarii, Caroli V. Ducis Lotharingiae, de re Christiana optime meriti fortissimiqve,

simiqve,

ſimique, & quod caput rei eſt, veri ac legitimi Lotharingiae Moſellanae heredes, ſede & ſolo patrio extorres, quaeſito per majores, & continuato per eorum deſcendentes poſteros iure mulctentur, & poſt tot obteſtationes fruſtra factas, ſpe reſtitutionis ſuae excidant, atque in miſera hac & natalibus ſuis indigna conditione relinquantur. *Imperatores Ro. qua* Reges Germaniae, *ius in regnum Lotharienſe, ut regnum Germaniae coniunctum, & arcte innexum, retinent, atq; uſu titali ſummum, neminique obnoxium dominium, in partes eius maxime Cismoſanas competens tuentur. Neque ſecius Antiſtites Belgicae primae id titulo munereque* Archicancellariatus per Galliam, *id eſt, Belgicam, ſive per regnum* Lotharingiae *Germanicae declarant; & admonent, in* praeſcriptione, *quae duplici nomine interrumpitur, nihil momenti ineſſe, neque facile patientiam aut derelictionem poſſe obtendi, quando rerum interceptarum tituli ſervantur, & indicia non levia, neque obſcura ſuppetunt, quae tempore* uſurpationis *iſtius, etiam diuturnae, detinentem in mala fide conſtituunt, & nullum adeo ius tranſferunt in uſurpantem. Narrationes* Guil. Nangii *de Lotharingia* Ottoni in beneficium data, *implicatae ſunt, & cum falſa opinione, quam ex Hugone Floriacenſi hauſit, permixtae, omniumque veteris aevi ſcriptorum ſententiis aduerſae. Ad extremum* Ducatus Lotharingiae *nondum ceſſus abalienatusque eſt, & ratione ſupremi iuris etiamnum agnoſcit Germaniam, & conceſſiones ac privilegia eius ſic in favorem Ducis interpretandae ſunt, ut favor Imperii potior habeatur.* Vid. in hanc ſententiam Notationes MST. in Notitiam Boecleri,

